Digitized by Google

BIBLIOTECA NAZ.
Vittorio Emanuele III
XXIX
C
49
NAPOLI

[illegible] Google


Nunc Medicis quam floribus offert
primum Botane ne dedignare coronam
D. ANDREAE
CASIMIRO
DE AMBROSIO
D.D.D.


FRANCISCI
EULALIJ
SAVASTANI
E SOC. JESV.

BOTANICORUM,
SEU
INSTITUTIONUM REI HERBARIÆ
LIBRI IV.

Pro Bibl. Colleg. Neap. anno
Secret. Soc. Jesu 1713

NEAPOLI AN. M.D.CCXII.
Ex Officina Novelli de Bonis Typograph. Archiepiſcop.

SVPERIORVM FACVLTATE.



ILLUSTRISSIMO DOMINO

D. ANDREÆ CASIMIRO DE AMBROSIO.

FRANCISCUS EULALIUS SAVASTANUS S. J.

Felicitatem.

NON rarò iis uſuvenit, qui famæ ſtudent, Vir Illuſtriſſime, ut aliquid perfectum ingenio, induſtria elaboratum in lucem edituri, in Majorum Gentium aliquem aciem intendant; & qua generis floreat amplitu-

 dine,

dine, qua polleat auctoritate, id unum ſpectent; quantùm ingenio valeat, aut literaria præſtet laude, nihil omninò penſi habeant. Ita & ſe, & ſuos, quos ſibi adoptant, Mecænates ſplendidam ſanè inducunt in fraudem. Se quidem; dum ex fumo ſibi lucem quærunt, & famæ negotium, perinde quaſi aut armis, aut opibus, aut phaleris tranſigi poſſet, alienæ poteſtati, non ingenio committunt. Suos verò Mecænates; quia dum, quæ eos circumſtat, amplitudinem ambiunt, non cum iis, ut olim ſcitè penes Tacitum Galba ad Piſonem, ſed cum eorum fortuna loquuntur. Non mihi multum laborandum fuit, ut me integrum ab hac labe præſtarem. Ubi tu primum oculis occurriſti, qui meum iſtuc probares conſilium, haud ultrà deliberandum mecum ipſe animo ſtatui. Habeo, ſic mecum rem tacitus agitavi, habeo quem huic operi & Judicis nomine deſtinem, & Patroni, cujus nempè judicium & vereatur fama, & meum proſequatur obſequiū. Scilicet is es, quem manſuetioribus hiſce ad ſuperbiam excultum muſis non ſemel adſtricta numeris oratione ſcribentem Neapolitanæ Academiæ ſuſpexere, equuſque

que Parthenopæus viſus ſumma cũ laude in Pegaſum, Sebethus evadere in Hippocrenen. Nemo igitur opportunius in Muſarum patrocinium vocandus erat, quàm Tu, qui iiſdem à puero aſſueveras, ut tandem gratam iis inciperes vicem rependere, & quem olim illæ ſenſere cultorem, ſentirent nunc etiam Mecænatem. Sic ab omni ambitus nota meum ſe tibi purgabit obſequium, planumque faciet Tecum ſimpliciſſimè agere, non Tuæ palpum obtrudere felicitati. Quanquam fateor, in hoc ipſo exequendo conſilio, quam planè deſpexeram fortunam, expertus ſum votis nunc ut cum maximè obſequentem meis; nam dum Te unum ſpecto, tuumque unum ſequor judicium, quæ ab aliis alii eblandiri ſolent famæ ſuffragia, & mihi ſuopte ingenio cumulatiſſimè prærogavit. Tanta ſiquidem Tuo è nomine huic operi lux oborta, ut nihil deſiderandum amplius fuerit, quo abundè inclareſceret. Ea nimirum ab ſtirpe es, quæ ſi minus ſummo, non infimo certe ab loco eſt, ſuaque oſtentat & nobilitatis præſidia, & gloriæ ornamenta. Quid enim uſpiam cujuſquam commendet genus, quod in Tuo non emi-

heat penè dixerim ad invidiam? Ampliſſimas-ne, eaſque diuturnitate inveteratas quiſpiam in eo requirat divitias? Nullus profectò nobilitati ſplendidior, quàm vetuſto ab auro, decor, ac ſpecies. At opibus uſque adeò Tua circumfluit, ac jam inde ab Andegavenſium Regum temporibus circumfluxit Domus, ut Regiarum ipſarum fortunarum anguſtiis præſenti ſubſidio non ſemel eſſe potuerit. Conſtat ex Neapolitanorum Tabulariorum fide a Rahone, & Jacobo de Ambroſio Carolo I. Andegavenſi certum mutuò datum æs. Tempore Caroli V. Cæſaris à Petro de Ambroſio ſub ejus ſignis Ciſalpino in bello merente numerata militibus de ſuo ſtipendia, multis nummorum aureorum millibus in Auguſtiſſimæ Auſtriacæ domus obſequium inſigni liberalitate profuſis; ut nemini dubium eſſe poſſit, quin Tua Vetus Proſapia auriferorum fluminum exemplo ſemper ſibi conſtiterit æquè auro clara, ac profluente; ſupraque Pactoli laudem potuerit potiùs Reges ipſos propemodum Midas aureos efficere, quam ab ipſis auro diteſcere in pretium. Res domi, militiæque à majoribus præclarè geſtas,

ſtas , muniaque publica ſingulari obita cum laude fortaſſe alius repoſcet . Ab his nempe nativus Nobilitatis color, ac ſanguis; & Majorum gloria poſteris lumen eſt luculentiſſimum. At quantùm his abundat laudibus Tua Stirps præclariſſima non unis Illuſtrium Virorum circumſepta Imaginibus, quorum Nomina inſtar triumphi ſunt.. Tenet adhuc fama, quàm ſplendidè ſuam locarit operam apud Ferdinandum Primum Aragonium Tomiſſius de Ambroſio: quantùm ſe deinde Carolo V. Cæſari probaverit Hieronymus, ejuſque nuper laudatus filius Petrus de Ambroſio per omnes penè honorum gradus ad ſummum evectus faſtigium, ſub Philiberto Auriaco Cabillonenſium Principe Tribunus Militum in Subalpinis, ſub Petro Toletano ejuſdem in acie Legatus, ſub Albano Duce Ariani conſpicuæ tum Urbis arci impoſitus, ut cam ab hoſtibus adventantibus tueretur; cujus nempe integerrima fides minimè auro corrumpi paſſa in aliis arcibus Ciſalpinis propugnandis jam ſatis ſui ſpecimen exhibuerat, ſub Vaſti denique Marchione in expeditione ab eodem in Apu-

 liam

liam ſuſcepta ſupremus Annonæ Præfe-
ctus: quem deinde æmulatus Tomiſſius
alter ex ipſo progenitus, paternæ Virtutis
hæres ex aſſe & ipſe ſub Carolo de Gue-
vara. Potentiæ. Comite Tribuni milita
ris munere inſignitus eſt; ut jam penè
militaris gloria Genti de Ambroſio per
manus tradita in ejus domo domicilium
fixiſſe videretur. Quid ampliſſima Re-
gum loquar diplomata, quibus in illuſtri
veluti poſita monimento Tuæ Familiæ
commendatur Nobilitas, Tuorum pro-
merita Majorum famæ aſſignantur? Extat
ampliſſimum Ferdinandi Aragonii di-
ploma ad Tomiſſium de Ambroſio,
quo illum commemorans Amalphita-
num Civem Patricio ex ordine, ob
egregiè ſibi navatam operam ſummis
effert præconiis, pluribuſque immu-
nitatibus, prærogativis, honoribus mu-
neratur; ut jam tùm Amalphis feli-
cior videri potuerit ab hac Regalis Muni-
ficentiæ aura ſuo afflata Civi plenis velis
ad gloriam velificanti, quàm à Nauticæ
Pyxidis invento. Extat & alterum Caroli
V. Cæſaris ad ſupra laudatum Petrum de
Ambroſio, quo ejus, optimique Paren-
tis

tis Hieronymi ſibi præſtita commendans obſequia, locupletiſſimum ipſi probatæ fidei, antiquæ Nobilitatis, publicæque rei benè geſtæ dat teſtimonium, eundemque renunciatum à ſe Equitem aureo inſignitum Calcari, ac Militari Cingulo decoratum in ipſo ſuæ ad Imperium Inaugurationis die Aquiſgrani habitæ honoris cauſa conteſtatur, literiſque, atque Immortalitati commendat. Quo ſanè nihil præclariùs in Tuæ Familiæ præconium dici poteſt. Habet illa nimirum ſuo uſque hærens lateri aureum calcar, quo ſe incitare poſſit ad gloriam; & in eo Militari Cingulo ſuum oſtentat Signiferum orbem, qui & Cæli Baltheus à Poëtis dictus, quem Tui generis ſplendor, tanquam Sol alter, obeat, & circumluſtret. Quibus de cauſis nemini non liquet adeò pleno gloriæ ferri alveo Tuæ Ampliſſimæ Proſapiæ decus, ut magnorum inſtar fluminum (Senecæ verbis utar) ejus navigabilis ſit etiam ſine adjutorio imbrium magnitudo. Addis huic tamen tu, Vir Illuſtriſſime, multa de tuo, acceptamque à Majoribus gloriam illis rependens cum fœnore ingens avitis laudibus appendix accedis.

 Ad-

Addis præclariſſimis illorum affinitatibus adjectum nuper in Tua ſpectatiſſima Conjuge Nobiliſſimæ Branciæ Familiæ decus. Addis exactam ad ſeveriſſimas integerrimæ Pietatis leges Adoleſcentiam, in qua nihil præteritum excuſandum habeas. Addis morum ſuavitatem, & elegantiam, quâ Tui Generis faſtigio incumbis ſine faſtigio, nihilque præclarius ducis, quàm poſſe benemereri de pluribus. Addis prudentiam ętate majorem; quâ nempè plurimùm pollet Tuus præclariſſimus Parens Cajetanus Antonius, ut per ſe pateat, ex quibus originem repetas, quorum ſimilitudinem, ut cum Caſſiodoro loquar, felici vena cuſtodis; probaſque tuo exemplo vulgatiſſimum illud Tragicorum Principis: *Generoſa in ortus ſemina exurgunt ſuos.* Quæ cum itá ſint, eſt cur mihi gratuler, quòd verecundis hiſce Muſis publicam nunc primùm laceſſentibus lucem Te potiſſimùm nactus fuerim Mecænatem, à quo nempè ipſis & momentum ingens Tuo ſapientiſſimo judicio, & decus ſummum ampliſſimo accedat patrocinio. Nec Tibi grave accidet eas in Tuam fidem, & clientelam accipere.

Quid

Quid enim ? Te Poëſis conveniat unà difficilem, qui morum comitate Te omnibus facilem præbes, & obvium; quique illi authoratus à tenero, ingenuo dignam homine Tuo potiſſimùm calculo extuliſti ? An, quòd herbariæ ſint, apud Tuam offendent amplitudinem ? At probè noſti, quàm ſummis ipſis Regibus in deliciis fuerit herbarum cultui triumphales commodare manus, eaſque ſuo de nomine nuncupatas poſteritati mandare, ratos ſuam in ipſis perennaturam gloriam, dum in iiſdem ſuum revireſceret nomen. Quod illis honori fuit ſummis impenſis conquitere, regalibus ſeptis excipere, manu excolere, haud Tibi certè indecorum erit ingenio colere, fovere patrocinio. Excipe igitur illas, quâ ſoles, humanitate, nempè Tuâ, nec pigeat meis victum precibus Herbariis muſis herbam porrigere. Mihi crede, maximam ſic tuæ famæ ſementem facies, mox ad immenſam gloriæ ſegetem diſſeminandam, herbeſcentemq; jam nunc vel his ipſis in herbis volupè Tibi erit ſpectare ſeſe jam proripientem ad frugem Tui nominis viriditatem. Plura nec cauſæ æquitas poſtulat, nec Tua Facili-

cilitas; quare Tui ſecurus Patrocinii, quod medicis ex herbis in humanam vitam provenire ſolet compendii, hoc tibi precor ex animo, longius ævum, ac felicius. Vale.

Kalendis Quintilibus 1712.

Botanophilo Curioſo.

HAbes jam tandem primam tuorum votorum, mei laboris partem, poëticis alligatas numeris Rei Herbariæ Inſtitutiones, Botanophile Curioſe. Haud ſum dubius, quin Tibi gratum accidat, quod à me propè quotidiano efflagitaſti convicio; vereor tamen ne, ut Tibi morem gererem, apud alios offenderim. Non unus fortaſſe erit, qui Botanicorum ſpecie captus animo præcipiat Plantarum potiorum ſaltem, aut rariorum Virtutes, ac poteſtates ex profeſſo in hoc opuſculo ſibi ſubjiciendas: crebras ſibi præſumat Herbarum deſcriptiunculas, & fabellas ad poëſeos lenocinium ſuis aptè interſitas locis; eâque inductus animi perſuaſione illud in manus ſumat; ubi verò in minutiſſimam incidat Plantarum Anatomen, fibraſque, & utriculos, & tracheas, & vaſcula germanum, ac proprium plantæ ſuccum continentia, eorundem anaſtomoſes, aquei etiam ſucci motum, accuratam gemmarum obſervationem, foliorum, ac florum texturam, habitum, diſcrimina, ſeminum, ac fructuum procreationem, & quæcunque alia ſunt è penitiſſimæ Phytologiæ penu, ſibi legenti obtrudi ſentiat, ſe votis frauda-

tum

tum doleat, parumque abſit, quin diris crudius illud devoveat ingenium, quod manſuetiores Muſas, atque amæniores hunc adegerit in gyrum; atque in hæc ſenticeta compulerit. Atqui hoc illud eſt, quod ipſe à Me vel invito expreſſiſti, qui Muſæ meditantis ſæculi delicatioris obſequi genio interceſſiſti conſiliis, eamque in tuam pertraxiſti ſententiam. Tui fuere ij ſtimuli, quibus identidem perfoſſum deſidis latus. Hoc eſſe ampliſſimum illud Rei Herbariæ propylæum: præpoſterum verò conſilium eſſe in Botanicorum adyta invadere, eo antè ritè non perluſtrato. In hoc præclariſſima non ſine laude deſudaſſe Doctiſſimorum Virorum ingenia, Grevios, Malpighios, alioſque, quorum nomina in Re Herbariâ inſtar triumphi ſunt. Operæ pretium futurum non exiguum, ſi horum elucubrationibus à poëtis etiam ſuum accederet & lumen, & gratia. Hoc à Philobotanis impenſiùs expectari, quod ad exactiorem Rei Herbariæ cognitionem conduceret magis, & novitatis, ac difficultatis illecebrâ eorundem magis vellicaret ingenium. Non deeſſe, qui Herbarum virtutes carmine, ſi minus exhauſerint, (quis enim omnes, quod immenſi propè operis eſt, carmine comprehendat?) attigerint ſaltem, ac delibarint. Præſto eſſe Macrum, Couleium

jum

jum, alioſque, qui banc ſibi præripuerint lauream; qui verò eam, quæ de Natura plantarum, partium ſtructura, locorum ingenio, deque earum uſibus, præſertim in re medica, generatim diſſerit, Philoſophiam poëticis adumbrarit coloribus; adhuc eſſe neminem: Vacuam hanc occupare provinciam ſuo non vacaturam famæ præconio: Difficultatem ipſam, quæ plurima occurreret, ceſſuram in operis commendationem; & penè offenſiones ipſas in has ſalebras futuræ gloriæ compendium: Intrà Phaëtontis laudem eſſe magnis excidiſſe auſis, & fragilitatem ipſam ſæpè pretium accendere. Tot impulſus calcaribus manus dedi: Inſtitutum de ſingulis plantarum viribus, atque ad rem medicam præſidiis carmen abrupi, atque in aliud tempus de tuo mandato rejeci; & in banc Botanicorum partem; quæ meram Iſagogen in ipſa amplectitur, Muſas vel reluctantes adegi: Itaque ſi quid in hoc culpæ eſt, in Te totum hæret: Quod mearum partium fuit ità meum; quo Tibi obtemperarem, temperavi conſilium, ut dum Tibi placere ſtudeo, minimè aliis diſplicerem. Abſtruſioris hujuſce Phytologiæ ſcabritiem, atque aſperitatem quà perſpicuitate ſtyli, quà ſuavitate emolliendam pro meo modulo curavi; ut nihil rerum minutiſſimarum, & confragoſarum arduitas de carminis

minis elegantia , nihil carminis elegantia de rerum cognitione detraheret ; conſtaretque ſibi rara illa ſocietas difficultatis materiæ cum ſcribendi facilitate. Suas etiam ex intervallo fabulas, ac metamorphoſes, digreſſiones etiam, ac veluti per tranſennam, ubi ſe dedit occaſio, memoratas plantarum aliquot virtutes, ac poteſtates de induſtria interſerui, quibus eorum ipſorum, qui meras ſectantur delicias, vel genium proritarem, vel levarem faſtidium. Ad hæc, ſuis omnia notis explanata, atque illuſtrata volui, ut iis Lector, tametſi Rei herbariæ omninò ignarus, veluti manu duceretur, ne quà hæreret in ſalebra. Nomina inſuper plantarum, quarum incidit mentio, Italicè reddita Notis adjeci, ſecutus Herbariorum aliquot, & Hetruſci Lexici in pluribus ſententiam, haud ignarus hac in re alias aliter ab aliis accipi, atque alia nomenclatione donari. Elenchum etiam in calce, atque explanationem Vocum difficiliorum ad Rem Herbariam pertinentium attexui, ne quid deſideraretur vel ad Curioſitatis lenocinium, vel ad Facilitatis ſubſidium. Quare Neminem adeò faſtidioſum futurum arbitror, qui mihi jure ſuccenſeat, quòd hoc ſcribendi genere ſuum omninò fraudaverim genium. Quòd ſi quis adeò delicatulus ſit, ac

de-

deſidioſus, qui nullâ hujuſce operis capiatur illecebra, is meminerit me Rei Herbariæ ſtudioſis, non verò in roſa, ac violâ molliter cubantibus, atque omnia faſtidientibus ſcribere. Præclarè mecum agi exiſtimabo, ſi Botanophilorum, quorum adeò hac tempeſtate tota Europa, in Germania præſertim, Gallia, Britannia, Batavia, Italia, Sicilia, fama floret, & ingenium, aliquam mihi demerear gratiam. Id ipſum in cauſa fuit, cur barbaras aliquot, ac nuſquam Latio donatas in hoc opere uſurpaverim voces, cujuſmodi ſunt plurium plantarum Antiquioribus ignotarum nomina, & vocabula quædam à Botanicis vel compoſita, vel paſſim uſu recepta. Qui Botanicis ſcriberem, quidni eorum uterer loquendi ratione? Malui paucis aliquot naſi aduncioris barbarus videri, quàm Botanicis ipſis obſcurus. Hoc unum non abs re rogabit quiſpiam, cur abſtruſiorem hanc Iſagogen à libris, qui reliqui ſunt, de potiorum plantarum virtutibus abjunctam voluerim, ac feſtinato editionis honore ſeorſum in lucem emiſerim; quando è re magis videri poterat integrum opus ſuis omnibus abſolutum numeris Famæ judicio committere; ſic enim alia ſe aliis ſuſtentaſſent validiùs, ac ſeculi genio commodiùs ſe probaſſent. Ità ſanè factum oportebat, ſi per otium licuiſ-

ſet,

ſet; ſed cum vix inchoato opere aliò avocatus fuerim, nihil adhuc ad umbilicum ducere, nedum revocare ad limam vacavit. Quare ne diutiùs tua protraherem vota, libuit hanc partem, quæ jam ad manum erat, tanquam in anteceſſum perſolvere, ac veluti quandam ſymbolam dare. Placuit etiam eo conſilio illam ſeorsùm Famæ oculis exhibere, ut ita celeberrimi illius Pictoris in morem, veluti poſt tabulam deliteſcens, publici judicii periculum facerem, quidque in eâ diſpliceret, quid emendandum eſſet, acciperem, atque inde exemplum in id, quod reliquum eſt operis, ſumerem. Tu intereà fruere hoc primo meæ in Te obſervantiæ pignore; & ſi quid genium habeat, Tibi laudi tribuas; ſi quid reprehendatur, Meo Tibi religioſiùs fortaſſe, quàm par erat, obſequendi ſtudio vitio vertas. Vale.

EMI-

Mauritius ab Antonellis Præpoſitus Provincialis Soc. Ieſu in Regno Neapolitano.

CUM Librum, cui titulus eſt, *BOTANICORUM, SEU INSTITUTIONUM REI HERBARIÆ*, à P. Franciſco Eulalio Savaſtano Sacerdote compoſitum, tres ejuſdem Societatis Sacerdotes, quibus commiſſum fuit, recognoverint, & in lucem edi poſſe probaverint, facultate nobis à P. Michaele Angelo Tamburino Generali communicata concedimus, ut typis mandetur; ſi ità iis, ad quos pertinet, videbitur. In quorum fidem has literas manu noſtra ſubſcriptas, & Sigillo Societatis noſtræ munitas dedimus. Neapoli die 13. Menſis Novembris 1712.

Mauritius ab Antonellis.

EMINENTISSIMO SIGNORE.

NOvello de Bonis Stampatore di queſta Arciveſcoval Corte, ſupplicando fà intendere à Voſtra Eminenza, come deſidera ſtampare un libro intitolato: *BOTANICORUM, SEU INSTITUTIONUM REI HERBARIÆ*. Per tanto umilmente prega V. E. à commetterne la reviſione, à chi meglio le parerà, che l'averà à grazia, ut Deus.

Rev. D. Andreas Maſtellone revideat, & referat, Neap. 12. Maii 1712.

SEPTIMIUS PALUTIUS VIC. GEN.

D. Petrus Marcus Giptius Can. Dep.

EMINENTISSIME DOMINE.

LIbrum, cui titulus, *BOTANICORUM, SEU INSTITUTIONUM REI HERBARIÆ*, ab Adm. Rev. P. Franciſco Savaſtano S. J. exaratum te jubente perlegi, nihilque in eo aut Religioni, aut moribus adverſum deprehendi; quapropter typis mandari poſſe cenſeo, ſi poteſtatem fecerit Eminentia Veſtra, cui me, meamque ſententiam devotiſſime ſubmitto. Neap. 8. Kal. Junii 1712.

Em. V.

Humill. Addict., & Obſeq. Famulus.
Andreas Maſtellonus.

Attenta ſupradicta relatione Imprimatur. *Neap.* 8. *Maij* 1712.

SEPTIMIUS PALUTIUS VIC. GEN.

D. Petrus Marcus Giptius Can. Dep.

Eccellentissimo Signore.

Novello de Bonis Stampatore in queſta Fideliſſima Città, ſupplicando fà intendere à V. E. come deſidera dare alle ſtampe un Libro intitolato: *BOTANICORVM, SEV INSTITVTIONVM REI HERBARIÆ*. Per tanto ſupplica à commetterne la reviſione, à chi meglio le parerà, che l'averà à grazia, ut Deus.

Magnif. in Med. Doctor Nicolaus Cyrillo videat, & in ſcriptis referat.

Gascon R. Guerrero R. Argento R.

Proviſum per S. E. die 26. Maii 1712.

Maſtellonus.

Eminentissime Domine.

Juſſu Exc. Tuæ legi librum cui Titulus: *BOTANICORVM, SEV INSTITVTIONVM REI HERBARIÆ*, Franciſci Eulalii Savaſtani è Soc. Jeſu; Cumque in eo nihil invenerim, quod Reipublicæ, Regiæque Juriſdictioni adverſetur, typis committi poſſe reor. Præſertim cum Elegantiſſimus Auctor omne ſanè tulerit punctum; materiam enim omninò exuccam, ſterilemque fæcundo, & ſuccoſo, ut ità dicam, carmine pertractavit. Quarè futurum ſpero, ut ſtudioſa Juventus, maximo Medicæ præcipuè Artis commodo, ad utiliſſimum Rei Herbariæ ſtudium noſtris his regionibus ferè jacens, tot Muſarum lenociniis, non pelliciatur modò, ſed cogatur. Ità cenſebam, ſi ità Exc. Tuæ videatur. Neap. 26. Maii 1712.

Exc. Tuæ

Addictiſſimus Servus.

Nicolaus Cyrillo.

Viſa relatione Imprimatur; & in publicatione ſervetur Regia Pragmatica.

Gascon R. Guerrero R. Gaeta R.
Argento R. Mazzaccara R.

Proviſum per S. E. Neap. 28. *Novembris* 1712.

Maſtellonus.

BOTANICORUM.

LIBER I.

QUi Campis paſſim frutices, quæ montibus altis
Herbæque, ſtirpeſque, & odoro germine plantæ
Proveniant, Medicos riguis quas lactet in uſus
Seû Doris, ſeû Najas aquis, aut Sole Marito
Fœta coloratis Peruë ſubmittat ab Indis:
Quæ virtus ſit cuique ſatu concepta, poteſtas
Quæ foliis, vel quæ lectis Radicibus artes,
Hinc efferre, novo mentem quando impulit œſtro,
Meque ſuas ultrò ipſe artes docet auctor Apollo,
Incipiam. Veſtros Vati reſerate receſſus
Fortunatorum nemorum, quæq; arva Napææ,
Quæque juga agreſtes tondetis Oreades, & quæ
Pubeſcentem imo Neptuni è gurgite ſylvam
Felicem legitis Nereides, aut vaga ſubter
Flumina Naïades, vel olenti in margine ripæ,
Et Medicas alitis fruticum pleno ubere vires.
Fas mihi ſit veſtro lectas è ſemine fruges
Pæonias, quarum nunc tantùm Europa ſuperbit
Jam ſtudiis, cultuque, audaci evolvere cantu;
Atque immortalem capiti petere inde coronam,
Unde Machaonius nervis vigor, unde ſalubre
Præſidium, virtuſque redux reparabilis ævi.
Tu mihi, quæ totos camporum inſuſa per artus,
At nuſquam deprenſa, ſinus Telluris inertes
Semine fœcundas vitali, & germine veſtis;
Naturamque ægram auxilio miſerata, vel ipſis
Deliciis medicas permiſcens prodiga vires,

Grata vel in blandis vernantia pharmaca pingis
Floribus, illecebriſque hominum faſtidia vincis;
(Te ſine nil magnum Mens nititur) En age, rerum
Arbitra, Lex operum, æternæ vis Provida mentis,
Alma (1) Pronæa, tuo ſi munere ſæva remittit
Atropos, adverſoq; retexit ſecula fuſo,
Hùc ades, & fato Soles furata benignos,
Herbarum ignotas ægris Mortalibus artes
Da Vati vulgare, t uisq; aſſueſcere donis.
Haud unquam immemori tantarum Gratia rerum
Excidet. Ipſe Tibi meritis pro talibus æquum
Grati animi monimentum, aurato ex ære Columnam,
Auguſtam, ingentem, multum cui victa ſuarum
Pyramidum de laude Pharos concedat, in auras
Attollam, viridi quà fronte procurrit in æquor
Mergillina, ſuiq; potens Maris imperat undis.
Ipſa mihi ſceptro, & triplici diademate, fulvà
Nube ſuper fulgens, faſtigia ſumma tenebis,
Fortunam, & cæcos torquens ſub Numine caſus.
Aſt infrà, quatuor quà ſe baſis aurea vertit
In facies formanda, tuas, decora inclyta, laudes,
Quæq; geris facili diſponens fortia niſu,
Argumentum ingens, vivo ſpirabit in auro.
Hinc, atq; hinc ſparſim fœdo ſqualentia rictu,
Excita primævi (miſerum!) poſt furta Parentis
Cernere erit febrium, Morborumq: agmina, peſtes
Triſtè ſatas Phlegetonte, (2) Phthiſin, torvamq: (3) Phreneſim,
Pleuritimq; (4) acrem, carpentemq; ilia morſu
Lithiaſin (5), (6) Strumaſq; graves, duramq; (7) Synanchen
Angentem fauces, & guttura anhela prementem,
Iſchiademq; (8) Luemq; & fumiferam (9) Cephalæam.
Humanum jurata genus pro Crimine juſtis
Plectere ſupplicijs, & acerbo excindere fato.
Contra autem fundentem almo auxiliaria partu

Ger-

(1) *Ad Divinam Providentiam Invocatio, cui acceptum referendum, quidquid paonis ex herbis ad humanam vitam tuendam opis eſt, ac præſidii.*

(2) *Morbi genus Noſtratibus dictum* Etticia, *Hetruſc.* Tiſichezza (3) Freneſia (4) *Noſtr.* Mal di punta, Puntura. *Hetr.* Scarmana, ò Scalmana *(5)* Dolor di calcoli. *(6)* Scroſole. (7) *Anginæ ſpecies. Ital.* Specie di Schinanzia, ò Squinanzia. (8) Sciatica. (9) Dolor di teſta.

Germina Tellurem, & vaſti regna humida Nerei;
Te vires afflante, tuoq; è ſemine paſſim
Fœta Machaoniis pubeſcere frugibus arva.
Stabunt mille aucti in ſpecies, in nomina mille,
Mentis opus diæ, & diæ veſtigia Curæ,
Gauliferi fœtus, morboſque in prælia poſcent.
At procul hinc Libithina, novis ſibi viribus ægras
Fracta dolens vires, non eluctabile ferrum
Cæca retractabit nequicquam, & bella repoſcet.
Signifero intereà Titan revolubilis orbe,
In diverſa trahens varium diſcrimina tempus,
Æſtuque, pluviiſque ſalubria dona fovebit.
Hic fati Tibi victor ego, plaudentia cinctus
Tempora verbenis, voti reus, annua ſupplex
Dona feram, & plexis cumulabo altaria Sertis.
Cuncta mihi inſtratos linquens celeberrima tractus
Curſibus, & pictis certabit (1) Olympia cymbis,
Actiadaſque trahet ſecum in certamina Nymphas.
Ante omnes pulchro ſata Nereo (2) Mergilline,
Leucopetreq; (3), (4) Ægleq;, (5) Euplæaq;, (6) Pauſilypeque,
Et (7) Megare, & (8) Neſis, Vitæque, Neciſque Potentem
Te referent cœlo, & mecum votiva ſacrabunt
Munera. Jam nunc ſolennes indicere pompas
Alta ad ſigna juvat, feſtoſque videre corymbos;
Vel chelyn ut Siren repetat formoſior, utque
Fluctivagi circum ludant Delphines in orbem.

1. *Amaniora quędam prope Neapolim loca celebrantur, patriis vocabulis in Nympharum nomina poëtico more detortis. Olympia ab antiquis dicta ora maritima inter Lucullanum, & Pauſilypum*, *vulgò* Chiaja, *ut author eſt Scip. Mazzella in deſcriptione Regni Neap.*
2. *Ital.* Mergoglino, *amaniſsima ad Pauſilypum villa in extremo ora olympia, ubi Actii Synceri Sannazarii olim domus, nunc celeberrimum Sepulchrum.*
3. *Vicus àeris ſalubritate celebratiſsimus altero à Neapoli lapide Veſuvium verſus*, Pietra bianca.
4. *Collis, Echia aliis dictus, & Lucullanum*, *vulgò* Pizzo falcone.
5. *Parva Inſula ad Notum Pauſilypo oppoſita.* la Gajola.
6. *Celeberrimum promontorium elegantiſsimis villis, & ædificiis ad mare conſitum, Neapoli ad occidentem Solem objectum*: *vulgò* Poſilipo.
7. *Inſula Ægla, ſeù Lucullano objecta, qua & Caſtrum Lucullanum appellata eſt*, Caſtel. dell'Ovo.
8. *Parva item inſula Pauſilypo objecta ad occaſum vergens.* Niſita.

Interea trepidum nemoroſa per avia Vatem
Duc tecum, & dextra auſpiciis rege, Diva, ſecundis.
Tu quoque, Tu, Series quem non inhonora parentum
Efflorentem opibus, priſcæ nec lucis egentem
Egregiâ de ſtirpe tulit, Te Majori & annis,
Huc ades, Ambroſide, & Medicis quam floribus offert
Nunc primum Botane, ne dedignare coronam.
Non his, ingenio præſtans, novus advena Sacris
Accedis: gremio dudum Te Pallas amico
Fovit, & à teneris doctas inſtruxit ad artes;
Caſtalioſque labris latices immulſit, & alti
Jura fori, Themidiſque dedit percurrere leges.
Ergo age, ſepoſitâ Curarum Mole, Camœnis
Pauliſper te redde tuis, Morbiſque medentes
Ritè præi, Phæbumque pari, precor, indue cultu.
Quas Amphriſiaco lectas è gramine fruges
Jam Paſtor prima ille refert Tibi munera, dexter
Excipe, nec ſeris pigeat prætendere ſeclis.
Sic tibi, primævo vernat quæ flore, Juventus
Præſidio Botanes nunquam non ſoſpita, vitæ
Claudat inacceſſam morbis urgentibus arcem,
Et Lacheſis Phryxæâ neat tibi vellera fuſis
Fatiferis, plaudatque cavo Sebethus ab antro.
His mecum auſpicibus Naturæ arcana virentis
Quiſquis amas ultrò rimari, & noſcere vires,
Ingredere, & magnis jam nunc accingere cœptis.
At prius omniferæ ſubeas quàm regna Parentis,
Herbarumque vices diſcretim, & ſingula diſcas
Germina, quæque ſuo Chiron Tibi ſervat in antro,
Quæque ſub Idæâ Crete Tibi ſubjicit umbrâ,
Veſtibulum hoc fuerit ſub primum hæſiſſe parumper
Dulce moræ pretium, atque uno prædiſcere pubem
Luſtrandam intuitu, & generatim expendere mores.
Ac veluti infenſum ſigna illaturus in hoſtem
Expertus bello, Martiſque in pulvere Ductor
Haud temerè arma movet, Marteinque invadit, aprico
Sed prius è tumulo campum metitur apertum,
Atque adverſa oculis procul agmina circumſpectat;
Quique locus caſtris, qui pugnæ optandus, in hoſtem
Quàve irrumpendum momentis æſtimat æquis.
Haud aliter prius herboſæ quàm ſingula ſtirpis
Nomina, gentileſque notas, & munera luſtres,

Cura ſit & Tibi proſpectu metirier uno
Commune ingenium, parteſque, & munia raptim
Tranſigere, inque ſuas pubem deducere claſſes.
Principio (1) vitæ pollens ſtirps munere, certo
Fixâ hærens radice loco, ſed neſcia ſenſus
Subjicitur. (2)Nec Te foliis (3) Mimoſa pudicis
Pubeſcens fallat peregrino germine planta.
Illa manus tactum renuat licet, aut pudibundas
Collecta in frondes ſe cogat, & ægra ſeneſcat.
Sit (4) quæ tactu etiam velut irritata, minacem
Hiſtricis in morem frondes, ſua tela, comantes
Subrigat intorquens, viridique igneſcat ab æſtu,
Non (5) ea ſint Tibi ceù ſenſus veſtigia: fallax
Imponit ſpecies: alias dubia omina cauſas
Promittunt, alio vertit ſe cardine motus.
Seù fruticum per cæca latent qui tegmina ſparſim
Valvuli id efficiant: (4) virides ſeù fuſus in artus
Qui vapor inſinuat ſe furtim id præſtet, & idem
Compreſſa expirans det ſenſim areſcere frondes.
Sic trahimus quo ſpontè auræ ſpirabilis hauſtus
Aëris alterno cordis vitale flabellum
Effluxu cadit in ſeſe, tumidumque reſidit:
Sic & Avenaceas non pervius humor ariſtas
Contrahit, & ramos Hierichuntis ab Urbe vocatos
Quos aperit Roſa; Nam poſtquam hæc planè aruit, arctum
Inque globum ſeſe, coëuntibus undique fibris,
Collegit, tepidâ mergatur Najade quondam

Si

(1) *Generalis Plantæ Notio ex Jungio: Corpus vivens, non ſentiens, certo loco affixum, quod nutriri, augeri, ac propagare ſe poteſt.*

(2) *Non huic officit Notioni, quod in Plantis nonnullis Æſchinomenis, ſeù Mimoſis, atque in Herba, quam Impatientem vocant, obſervatur.*

(3) *Ital.*Erba caſta, erba pudica, ò pur ſenſitiva.

(4) *Herba Impatiens, quæ & Perſicaria ſiliquata dicta.* Erba impaziente.

(5) *Quod enim ad manus tactum illa ſe contrahant, hæc diſcluſa ejaculetur ſemina, vel in valvulos referendum, quos nonnulli in Plantarum* vaſis *comminiſcuntur.*

(4) *Vel inde oritur, quòd attactu vaporoſus Succus, qui nervos, & vaſa replebat, exhalet; ut in pulmonibus uſuvenit, aëris expiratione deſidentibus, & in Ariſtis Avenaceis, & planta illa, quam Hierichuntinam Roſam*(Roſa di Gerico) *vulgus appellat, quæ ſiccitate contractæ, humore iterùm explicantur.*

Si radice tenus, ſeſe explicat ilicet, & ſe,
Pervadente poros humore, expandit in orbem
Lætior, & veteres ſibi rurſum inſtaurat honores.
Nanque idem foliorum apices qui fervor adurit,
Complicat, obvoluitque, redux quos explicat humor;
Afflatum (1) digito contrà ſeù denique frigus
(Quod vero propius) pubibundæ ſtirpis inertes
Adducatque lobos, venaſque adſtringat hiantes:
Quòd nempè inſtantis vi frigoris halitus intrò
Acrior abſcedat, fibraſque hinc contrahat ægras:
Qui deinde erumpens iterum magno impete frondes
Vibret in adverſum, pulchraſque accommodet iras;
Urget (2) enim caules frigus quoque, rurſus & in ſe
Cogit hyems adducta: Modeſta (3) Calendula teſtis,
Quique per irriguas creſcis, (4) Convolvole, valles:
Queis flos nocturno clauſus ſub ſidere mœret,
Nec ſe reſtituit, calatho niſi multa moranti
Mollis aduletur Zephyro Matuta tepenti.
Haud(3)ità perceptu facile eſt,quod conſita monſtris
Africa vel blando monſtroſa in flore, Colonis
Subjicit apricum, viſu mirabile, monſtrum.
Hic quà Sole rubet gleba, & torrentibus aſtris
Flos oritur, vulgò indigenis (4) Flos dictus Amoris;
Caule tumet craſſo, ſed mox tenuatus olentem
Paulatim in conum ſeſe ille inſpicat, & altè
Purpurat, ingenuum mentitus fronte pudorem;
Hunc ſi fortè tuens lævo procul omine, jactis
Inceſſas probris, fœdumque, rudemque, pudendumq;
Atque incompoſito nutantem ad Sidera cono
Inſimules agitans: furit ilicet, atque ſolutos

Di-

(1) *Vel denique, quòd digiti, ſeù ambientis aëris frigus ſucci motum in nervis cohibeat, atque ita in anguſtius ſpatium cogat.*

(2) *Quòd enim foliorum contractio ſapè à frigore accidat, argumento ſunt Calendula, & Convolvuli flores internoctu ſe claudentes.*

(3) *Aliter Caltha nuncupatur, Ital.* Fior d' ogni meſe, ò Spoſa del Sole.

(4) *Aliter Campanula. Ital.* Campanella.

(3) *Mirabilius eſt, quod de Africano Flore, P. Tamaius in Cap. I. Geneſ. oculatus teſtis memorat, ad jacta in ſe convicia folia diſcerpentes, perinde ac ſi contumelia inſolens videatur.*

(4) Fior d'Amore

Dilacerat crines, vernaſque aſſurgit in iras.
Ceù nemorum Corybas ſtimulis perfoſſus acutis:
An (1) malus has oculis Genius præferre putandus
Præſtigias, foliiſque ſuas affingere fraudes?
Aëris (2) an moti vocis rapido impete frondes
Diffindi impulſu, & pulchrum ſimulare furorem?
Sic qui quoquo alio vocum diſcrimine pulſus,
(Ut re compertum) vitreus ſcyphus integer hæret;
Dein certo vibrante ſono, velut ariete fractus
Aërio ruit, illuſtremque repente ruinam
Corpore dat; rauco aſſultans gemit aura ſonore.
Sic qui furtivi concretus labe veneni,
Appula quod morſu ſuffudit Aranea, torpet
Humor iners, certo ſonitu rareſcit, & ægrum
Compoſitos agit in ſaltus, & corpore manat.
Quidquid id eſt, ſimulacra animo ſe nata movere,
Ne fruſtrà Tibi finge, aut vanos præcipe ſenſus.
Quidquid Arabs, quidquid medicis Epidaurus arenis;
Quidquid & Ammerice felici è gramine carpit,
Vulgus rere unum nullo diſcrimine, vitæ
Jure quidem vegetæ compos, ſed ſenſilis expers.
Prætereà (3) ſenſim nutriri, & creſcere plantis
Eſt cunctis commune, novæque propaginis ortus
Ducere, congenereſque ſatu promittere fœtus.
Quin (4) dono Divûm viridi gens herbida luxu
Latius augetur, faciles & duplicat umbras:
Nam reparans ſemper potiore, quod excidit, auctu
Non modo ſe major partes impubis in omnes
Creſcit, at uſque novas haud ſegnius adſtruit, addens
Et folia, & flores, & fœtos ſemine fructus:
Hoc etiam præſtans Animantibus, aucta ſubinde
Queis nova pars nulla accreſcit, ni forte pilorum,
Plumarumque alto fruticantem è corpore pubem

Par-

(1) *Id autem monſtri vel malis præſtigiis tribuendum.*

(2) *Vel certo moti aëris impulſui; non ſecus ac certo vocis diſcrimine vitreos ſcyphos, aliàs integros, diffringi experientia docemur, ac certo ſonitu inſpiratum ab Apulo Araneo venenum ſubſilire.*

(3) *Porrò nutriri, augeri, ac ſe propagare Plantis omnibus commune eſt.*

(4) *Imò quoad augendi rationem Animantibus præſtant; nam non modo primas partes in majus provehunt, verum & novas progignunt, ut folia, flores, fructus: quod in animantibus non uſuvenit, niſi pilos, plumaſque & cornua in Cervis pro partibus accipias.*

Partibus adnumeres, aut quæ ſibi forte ſeneĉtâ
Decidua, haud impar unquam ramoſa reponit
Cornua, & arboreo Cervus ſe vertice tollit.
At certæ (1) affixas radice hæreſcere ſedi
Omnibus haud æquè commune eſt ſtirpibus: obſtat
Una Paretonio (2) Stratiotes nota Canopo,
Quæ nullis defixa ſolo Radicibus exlex
Luxuriem tollit foliorum, & vivida vernat
Nili innans undis refluentibus: (3) Inclyta quondam
Venatrix, viridi quæ ſtirps nunc ceſpite frondet.
Nam longo, ut perhibent, venatu exercita, & alto
Sole peruſta, comas, ut erat, vallata ſagittis
Barbarico de more, thoro conſederat herbæ
Propter aquam, Pharios fœcundo gurgite campos
Quà rigat, & ſeptem diſcurrit in oſtia Nilus.
Jamque exuta pedem (pudor ultrà obſiſtit) utrumque
Niliacis tingebat aquis, æſtumque levabat,
Subjectos viridi deſpectans margine fluctus:
Cum temerè ludentem undis violentior æſtus
Abſtulit improviſus, eamque abduxit in altum.
Haud tamen hic dejecta animo, vada ſpumea contra,
Durataſque manus, alternaque brachia jactans
Luctatur Virgo, tumidum ſi pectore poſſit
Exuperare fretum nando, & ſe reddere ripæ.
Et fortaſſe viam fortuna haud læva dediſſet,
Ni ſubito haud procul exiliens è fluctibus ultrò
Afforet, & rictu inſtaret Crocodilus hianti.
Tum verò infelix gemino obvallata periclo,
Fluctibus hinc, rabidæ inde feræ conatibus, hæſit
Mentis inops. cedat-ne voracibus hauſta fluentis,
An ne feræ, & fœdam ingluviem præda illice paſcat,
Haud liquet: Utrum optet, neſcit; tamen horret utrumque,
Quod ſupereſt, precibus fidens: ſervate paventem
Dii patrii, exclamat; Tuque ò, cui monſtra ferarum
Hac confoſſa manu, Meroës ad templa ſacravi,

Nile

(1) *Non ità verò plantis omnibus commune certo affigi loco. Oſtenditur id exemplo Ægyptiæ Stratiotis Nili alveo ſupernatantis, tenuiſsimis fibrarum filamentis, quæ Radicis loco demittit, terram non attingentibus, ut obſervat Proſper Alpinus de Plant. Ægypt. c. 35.*

(2) *Aliter Millefolium, ſeù Herba Militaris.* Millefoglio d'Egitto.

(3) *Res fabula exornatur.*

Nile pater, miſerere. Nec ultrà effata feracis
Senſit opem fluvij: mutato corpore cedit
Pubentem extemplo in caulem: crinita ſagittis
In craſſas abijt frondes coma, quodque supernè
Pube tenus ſuperans mediis extabat ab undis,
Frondet (1) Aizoi in faciem; pars altera fibras
In longas fundum verſus tenuata recedit,
Nec tamen hæret humi. Nandi ſic gnara natatu
Verſa vel in fruticem ſe blando exercet, & alta
Filamenta trahens fluvialibus innatat undis.
Hæc ſuper, (2) audentem ſua fert quò quemq; cupido
Noſcendi, haud levior Tibi cura, Botanice, mentem
Inceſſat, varias fruticum quoque noſcere partes;
Quæ ſimilis ductu conſtet ſibi ſimplice, quæve
Compoſito abſimilis coaleſcat in organa textu.
Singula quæ ſtudio ſunt obſervanda ſagaci;
Namque (3) alijs aliæ vires, & diſcolor uſus
Sæpè venit, ſæpè ejuſdem pars altera ſtirpis
Hauſta nocet, cujus diſcors pars altera prodeſt.
Aſpice, quam terno demittit tubere plexam
Anthora (4) radicem: extremis fovet illa venenum
Tuberibus, medium nodo cui vindice tuber
Antidoto eſt, hæretque ſuo Tutela periclo.
Ergo (5) prior teneat te cura ediſcere, ſtirpi
Quæ medicæ radix ſit cuique. Potiſſima Stirpis
Pars Radix; hac hæret humi, ſuaque inde miniſtrat
Hâc folijs alimenta, trahitque in ſemina vires,
Augeturque, ſuoque virens ſe caule coronat.
In primis (6) ſpecie varias ſpectare voluptas

B Sic

1 *Ital.* Erba Semprevivo.

2 *His prajactis obſervandæ primùm diligenter Botanico ſunt Herbarum partes, ſive eæ, quæ homogeneæ ſunt, ſive eæ, quæ heterogeneæ, & Organicæ appellantur.*

3 *Sæpè enim alia aliis partibus Virtus, ut exemplo Radicis Anthoræ oſtenditur ex Conrado Geſnero de Lunar. Herb. p. 76.*

4 *Sic dicta, quaſi Antiphthora, q. Thora, ſeu Aconiti Alexipharmacum.* Antora.

5 *Prima ſit Radicis obſervatio, quæ ex Jungio, Pars eſt plantæ inferior, quæ intrà corpus ſolidius, quod plantæ ſedem præbet, abdita, alimento attrahendo deſtinata eſt.*

6 *Tenenda autem in primis Radicum differentia, quæ ex eruditiſſimo Rajo dividuntur in Fibroſas, & Craſſiores.*

Sit formas; neque enim forma eſt Radicibus una.
Hæc (1) longis depexa fibris promittitur, illa
Craſſior (2) in molem turgeſcit, & inde ſub auras
Surgentis ſuperat Caulis legemque, modumque:
Forma (3) neque huic ſimplex; nam nunc carnoſa tumeſcit
In ventrem, (4) bulboque vel ipſo è ſimplice nomen
Bulboſæ ducit, ſive is concreſcat in orbem
Pluribus implexum tunicis, qualem (5) Allia produnt,
Cæpæque (6), Tulipæque (7), & purpurei (8) Hyacinthi;
Seù ſquamâ rigeant ſuper incumbente gradatim
Imbricis in morem, qualem ſibi (9) lilia, qualem
Martagon (10) fingit: (Radicis munera quamvis
Verius his ſubeat, bulbo quæ plurima inhæret,
Fibra) (11) vel agnatum ſua dat cognomina Tuber,
Tuber perpetuæ coiens farcimine carnis:
Jam ſimplex, ſibi quale (12) Crocus, ſibi vindicat (13) Orchis,
(Radicem huic licet efficiat fibra juncta biformem)
Jam ſeſe nodo numerans ſeptemplice, quali
Pœonia (14), Aſphodeluſque (15) rigens, & (16) Colchica gaudent.
Nunc eadem (17) in longum Radix diſcedit, & arvis
Aut

1 *Fibroſa ſunt, quæ plurimis fibris, ſeù filamentis è planta fundo ſeparatim exiſtentibus conſtant.*
2 *Craſſiores, quæ corpore pro planta modo craſſiore turgeſcunt.*
3 *Hæ porrò vel Carnoſa ſunt, & in latum extumeſcentes.*
4 *Et ſubdividuntur in Bulboſas, quæ unico conſtant capite, eoque vel Tunicato, h. e. ex pluribus corticibus in orbem ſe amplexantibus compoſito, ut in Allio: vel ſquamato, h. e. pluribus ſquamis imbricatim ferè diſpoſitis coagmentato, ut in lilio, quamvis in his fibra è bulbi fundo exiſtentes Radicis veriùs obeant munus.*
5 Aglio. 6 Cipolla. 7 Tulipano. 8 Giacinto. 9 Giglio 10 *Ital.* Martagone, ò Specie di Corona Imperiale.
11 *Et in Tuberoſas, quæ ſolida carne continua conſtant; ſuntque vel ſimplici Tubere, ut in Croco, & Orchide (quamvis huic Radix & Tuberoſa ſit, & Fibroſa) vel multiplici, ut in Pæonia, &c.*
12 Zaffarano, ò Croco. *Hetruſc.* Gruogo. 13 *Herba ſic dicta, quòd ejus Radix Teſticulorum ſpeciem referat, unde Cynoſorchis ejus ſpecies Italicè dicitur* Teſticol di Cane. 14 Peonia. 15. *Hetruſc.* Aſfodillo, ò Aſta Regia, *Herba aliter Haſtula Regia etiam dicta, quòd regii ſceptri effigiem, dum floret, referat* 16 Bulbo, ò Zaffarano Selvaggio.
17 *Vel ſunt in longum extenſa: Quæ rurſus aut ſarmentoſa ſunt, & tranſverſim progredientes, ſeù reptantes, ut in Oxalide, & Glycirrhiza.*

Aut ea ſarmenti ritu ſinuoſa procurrit
Tranſverſim reptans, ut quâ viget (1) Oxalis, & quâ
Dulce (2) Glycirrhizæ nomenque, genuſque perennat.
Aut (3) caulis verſa in faciem deſcendit in altum,
Seque vel in ramos imâ tellure propagat,
Geniculis vel crebra fibras emittit obortas:
Hâc, olet ingenuo quæ (4) Mentha virore, (5) Caninum
Nititur hâc Gramen, ludis quæque aurea Muris
Aure, (6) Piloſella, & nares quæ (7), Ptarmica, vellis.
Ipſe (8) etiam ſub clara redit qui lumina, diſcors
Occurret color; haud ſiquidem par omnibus albet.
Diſcolor Herbarum nonnullis flavet, & idem
Ex atro rubet in paucis: Spectablle ſuco
Teſtis (9) Erythrodanum, riguo lita ſanguine teſtis
Anchuſa (10), & notum Agricolæ quæ reddit edule
Inſtrumentum (11), herbis lætos quo paſtinet agros.
Id tamen (12) hic nolim primâ hac in parte morantem

1 Acetoſa.

2 Liquirizia.

3 *Aut cauliformes, & in altum deſcendentes, ſive Ramoſa ſint, ſive Simpliciores, fibras dumtaxat è geniculis emittentes, ut in Mentha.*

4 Menta 5. Gramegna Canina: *aliis Canaria dicitur, quaſi à Canibus inventa, qua faſtidium deducunt, vomitum cum pituita rejcientes. Hinc Cynagroſtis alijs, & à foliorum primò prodeuntium forma quibuſdam Dens Canis nuncupatur.* Dente di Cane. 6. Piloſella, *nomen à crebris, quibus veſtitur, pilis ſortita: Auricula Muris hinc aliis dicta 7 Ital.* Ptarmica. *Noſtrat.* Perpetuella. *Herba acri odore ſternutamenta ciens.*

8 *Varius eſt etiam Radicum color; non enim ſemper albus eſt, ut in pleriſque, ſed in nonnullis flavus, in paucis Ruber, aut ex atro rubens, ut in Anchuſa, Erythrodano, & Paſtinaca Tenuifolia, quam veroſimilius ſic dictam exiſtimamus ex Turnebo in Adverſarijs, l. 6. c. 23., quòd Radice Paſtinum referat, ruſticum ſcilicet inſtrumentum, quo cauliculi humi infodiuntur.*

9 *Officinis Rubia Tinctorum appellatur, à rubore radicis, quo lanæ inficiuntur.* Eritrodano, Rubbia. 10 Anchuſa, *ſic dicta à ſanguineo, floridove Radicis colore, quo manus oblinit.*

11 Specie di Paſtinaca.

12 *Obſervandum pariter Radices pleraſque Bulboſas annuatim in terram deſcendere, eaſdemque ex Trunco, ſeù Caule renovari, aut ſaltem ex parte reparari.*

Te fugiat; quod cura diù luctata reſoſſum
Imâ eduxit humo, & longo rerum extudit uſu:
Altius in terram quaſdam deſcendere bulbo,
Quæ bulbo gaudent Radices; ſeque quotannis
Paulatim reparare; putreſque reponere partes.
Ipſa in humum Caulis quæ pars magis ima recedit
Radici accedens ſibi jam ſubit altera munus
Scilicet, & veteris ſupplet diſpendia formæ.
Bulboſâ hoc (1) Tulipæ nixæ radice ſub arvis
Oſtendent paſſim; (2) hoc etiam Radicibus Herbæ
Subjicient ſubnixæ aliis, ut (3) Celtica Nardus,
Helleboruſq:(4)niger,(5)Lychniſq;& (6)Crithmus, & (7) Orchis;
Affineſq; aliæ: nec non ſibi turgida nodo
Queis gemino radix ſupráque, infráque cohæret;
Ut (8) Crocus, & vario maculoſa (9) Dracontia ſcapo:
Caulis ubi fuerat quæ pars magis abdita; primo,
Quod ſupra eſt, abit in Tuber, benè deneger anno,
Jam radix, mox inferius ſubitura ſequenti.
Primula (10) id in primis tibi prodet,& (11) Oxalis, & (12)quæ
Cœleſti nomen ſibi vendicat Iris ab arcu.
Nempè (13) hic Radici haud raro qui plurimus hæret
Annulus, & varijs diſcurrit linea punctis,
Mutati indicium eſt Caulis manifeſtius; alter
Nam lapſi hinc pridem folij veſtigia ſignat;
Altera vaſorum, quibus olli inſeruiit idem,
Ora refert, caulemque manet teſtata priorem.

Nec

1. Tulipani.
2. *Idem in alijs pluribus obſervavit peritiſsimus Grevius, ut in Valeriana, Helleboro nigro, &c. ima Caulis parte ſenſim deſcendente, ſeq; in radicem tranſmutante.*
3. Valeriana. 4. Elleboro nero.
5. Coronaria. 6. Finocchio marino. 7. Specie di Satirione.
8. Croco, ò Zaffarano. 9. Dragontea, Serpentaria.
10. Fior di Primavera. 11. Acetoſa. 12. Iride di Primavera.
13. *Tranſmutationis hujuſce manifeſta apparent indicia in Radice præſertim Tuberoſa; ubi quòd Caulis deſcenderit, & in Radicem intumuerit, argumento eſt ipſa Radix annulis quibuſdam, & lineis punctatis variegata: annulis foliorum jampridem è Caule delapſorum ſedes, punctis vaſorum orificia, quibus Caulis ijs inſeruijt, deſignantibus.*

Nec (1) nova deſcenſu mutatæ in Corpora formæ
Cauſa latet: Quæ fibra imo de caule recurrit
Rectà in humum pendens; Truncum; ceù reſtis; eòdem
Attrahit; inque novum cogit turgeſcere nodum.
Hinc eſt, (2) quòd Veterem Radix oblita figuram
Non ſemel invertat; quæque hic demiſſa tenaces,
Ceù Crura, in ramos ſeſe divaricat; illic
In plura arrectam ſe cornua ducta supernè
Torqueat, ut viridi perſæpè in (3) Dente Leonis;
Inque aliis patet; hic ſedenim quæ plurima ſæpè
Radicis ſummo turget de vertice gemma;
In totidem pariter Caules; & germina ſurgit;
Tempore paulatim quæ ſubſidentia; tractim
In totidem capita alta abeunt; & cornua linquunt.
Hinc (4) etiam quædam; qualem (5) Succiſa reſignat;
Præmorſæ apparent; cultuque; ſatuque perennes
Multa revolventes durando ſecula vincunt;
Nimirum damnoſa ſitu quas ægra Vetuſtas
Senſim adimit partes; eadem ſubeunte reponit
Caudice; Radicemque vetat ſuccumbere victam.
Tubera ſic alia ex alijs, aliaſque videbis
Subnaſci fibras; reduceſque exiſtere bulbos;
Ut quæ eadem in ſpeciem Radix durare videtur
Immutata; novo furtim ſata traduce ceſſu
Altera ſit; ſemperque novos juveneſcat in annos.
Non ſecus ac ſenio gravis, & ſqualentibus annis;
Veris ubi arriſit levis aura; exoſus inertes
Exuvias ponit Coluber; nitiduſque juventâ
Emicat ad Solem; & ſquamas fulvo innovat auro.

Quo

1 *Deſcenſus hujuſce Cauſa proxima, & perſpicua ſunt Radices fibroſæ, quas hujuſmodi Caules emittunt; hæ ſiquidem in terram deſcendentes, velut totidem funiculi, truncum poſt ſe rapiunt.*

2 *Ex hac Caulium in Radices tranſmutatione oritur, cur ſæpè nonnullarum Radicum figurà veluti invertantur, ut in Dente Leonis, nonnulliſque alijs cernitur.*

3 Dente di Leone, *Cichorei; ſeu Chondrillæ ſpecies; quam & Roſtrum porcinum, & caput Monachi officinæ appellant.*

4 *Cur etiam Radices aliæ præmorſæ appareant, ut in Succiſa videtur, perenneſque evadant.*

5 *Vulgò Morſus Diaboli nuncupatur: à politioribus* Succiſa *dicitur, quòd ejus radices circumroſæ videantur.*

Quo (1) ſe cunque modo latis tamen illa ſub arvis
Inſtruat, aut felix reparet ſua damna, notatu
Digna vel in paucis. Hùc omnis ſæpè recedit
Inſita vis plantæ, & fibris ſubſidit in imis.
Radicis virtute luem (2) Petaſitis amarâ
Hauſta domat, Radice potens Cor mulcet anhelum
Scorſonera (3), levatque graves Hydrope (4) Cyperus.
Denique quid vitæ proſit magis, unde ſalutis
Præſidia expectes, Radix Tibi præferet una
Sæpè notas. Radicem uſu quis dicere ſegnem
Audeat? illa etiam claros inſtare triumphos
Sæpè monet, palmaſque, & operta vireſcere ſceptra.
Illa (5) etiam bifidâ caudâ, ductuque biformi
Sirenem mentita, ſato ſub pectore Magni
Cæſaris Auſtriadæ referens decora aurea nummo,
Præſaga Auſtriacis prælufit dextera fatis.
Scilicet impreſſam jam tum portendere viſa
Parthenopæ fibris penitùs Sirenis amatam
Nominis Auſtriaci effigiem, infixamque medullis
Altiùs. Hanc olli cupido ſub pectore cordis
Eſſe loco, vitamque imis affundere venis.
Conſtitit auſpicium. Fatis orbata ſiniſtris
Auſtriade rerum domino, non immemor illum
Paſſa ſuo labi ex animo: conſtantior alto
Uſque ſinu fovit, ſtudijſque, & pectore ſepſit.
Quin cœlum ſupplex onerans, & ſidera votis
Haud clàm ultrà vultu Te compellabat amico,
Carole, certabatque tuas prævertere palmas,
Gradivum increpitans ſerum, turmaſque morantes.

His

1 *Utut autem hæc ſe habeant, plurimi habenda eſt ad uſus medicos Radix, ut nonnullarum exemplo curſim comprobatur.*

2 *Seù Petaſites. Ital.* Erba Cappellaccio, ò Tuſſilaggine maggiore. *Sic dicta à petaſo, ſeù galero, quòd ejus folium tam amplum ſit, ut capiti impoſitum petaſi loco à ſolis æſtu poſſit defendere.*

3 Scorzonera. 4 Cipero.

5 *Epiſodium in Parthenopæ ſtudia erga Auguſtiſsimam Auſtriacam Domum in adventu Armorum Auſtriacorum in Neapolitanum Regnum, occaſione Radicis repertæ in Sirenis effigiem Naturæ ſponte conformatæ, cujus in pectore, qua parte cordi locus eſt, nummus argenteus inventus, Ferdinandi III. Auſtriaci effigie inſignis, ut ex Academia Leopoldina, ſeù Hiſtoria Naturæ Curioſorum memoriæ proditum.*

His tum furtivis Siren nutrivit amores
Ignibus, immiſſo donec felicibus aſtris
Marte elata, ſuos tandem jam libera ſenſus
Explicuit. (1) Quibus illa modis, quibus illa choreis
Excepit reduces Aquilas, redeuntis amicum
Imperij auſpicium! Voti jam compos, inertes
Indignata moras, ultrò victricibus armis
Occurrit victrix; ſeſe nam vicit, & arma
His, quibus exultim ludens certavit, amoris
Officijs, palmamque ſibi præcepit opimam.
Tempore (2) quanquam illo reſonis quoque Veſvius antris
Applaudens, feſtiſque focis, crebroque tonitru
Signa dedit. Quoties turrito aſſurgere fumo
Vidimus, & lætas jaculari ad Sidera flammas!
Quin etiam cæcâ obvolvens caligine cœlum,
Phœbæos medio currus demerſit olympo,
Non alium cœlo paſſus ſplendeſcere Solem,
Auſtriaco niſi qui latè fulgebat ab ore
Clarior, armorumque metus, nimboſque fugabat.
Dij Patrij, Indigetes, (3) Tuque ò Eubæa tueris
Præſul io! qui Regna, tuo ſi ſanguine tanta hæc
Palma ſtetit, feſſo Auſtriaden ſuccurrere ſeclo
Ne Juvenem prohibete: Satis jam bella per omnem
Europam bacchata: novâ ſe prole beatum
Augeat, & ſtabili componat fœdere terras.
Florebunt tanto ſacræ ſub Principe leges,
Et miti Pax alma comas inſignis olivo
Pæonias alet effuſo magis ubere fruges.
At medicas (4) Radix non una exiſtit in artes
Utilis: ipſe etiam, qui pars eſt altera, Caulis
Inde virens ſpectandus, opes ediſcere agreſtes
Si quis amor; propriam ſive is pubentibus Herbis
Affingat ſpeciem, Culmi ſeù nomine Fruges

Efferat

1 *Neapolitanæ Urbis lætitia, ac plauſus in excipiendis armis Auſtriacis.*

2 *Ipſius Veſevi eruptio, quæ id temporis accidit, in lætitiæ argumentum trahitur.*

3 *D. Januario Præſentiſsimo Neapolitanæ Vrbis Tutelari Invictiſsimus Cæſar Carolus commendatur.*

4 *Præter Radicem Caulis etiam Botanico obſervandus, qui propriè hanc obtinet in Herbis nomenclationem, Culmi verò, ſeù Calami in Frugibus, Stipitis, aut Caudicis, vel Trunci in Arboribus.*

Efferat, aut Calami, celsâ ſeù denique dici
Stipes amet, Caudexque, & durus in Arbore Truncus,
Hinc quoque nimirum Virtus ſe Pæonis effert,
Blanditurque (1) habitu, formæque errore voluptas.
Quantus (2) eum foliis hic orbum in (3) Bellide, (4) vel vix
Conſpicuis in ſtante ſolo Petaſitide comptum
Ludus erit ſpectare: (5) illic frondente paratu
Inſtructum, & luxu foliorum impunè comantem!
Et nunc (6) illa quidem vernantia protinus uno
Ordine fundentem, quo (7) Pulſatilla, virentis
Quo (8) Paridis ſubit herba: (9) eadem nunc ordine tractim
Fundentem gemino, quo ſe (10) Monophyllon in auras,
Et (11) Phtora, & alterius germen (12) Cotyledonis effert,
Ordine (13) nunc nullo, aut certi diſcrimine cultus
Surgentem, & temerè hàc illàc ſua ſerta parantem.
Atque hunc (14) rurſum uno campis ſe tollere ſcapo
Vulgari (15) in Pyrolâ, viridique (16) in Dente Leonis,
Nymphæâque (17): Illum (18) contra diducere cœlo
Se Ramoſum aliis in ſtirpibus, inter utrumque
Aut nutare genus, ceù quo ſe (19) Primula Veris

Tollit

1 *Hujus primùm Differentiæ attexuntur, quæ deſumuntur*
2 *Primò reſpectu foliorum; Eſt enim Caulis vel nudus nullis foliorum rudimentis donatus*, 3 *ut in Bellide, Noſtrat* Margaritella. *Hetruſc.* Margheritina; *vel admodum exilibus, & vix ſatis à Caule diſtinctis, ut in Petaſitide*; 4 *Ital.* Erba Cappellaccio.
5 *Vel foliis veſtitus, ut paſſim.*
6 *Hic verò rurſum, vel eſt determinatè foliatus, ſive uno foliorum ordine, ut in Pulſatilla.*
7 *Ital.* Erba di vento, *ſic dicta, quòd ſeminum tremuli pappi leviſſimo flatu huc, atque illuc agitentur.* 8 *& in Herba Paridis, Ital.* Erba di Paride, ò Uva lupina.
9 *Sive gemino foliorum ordine, ut in Monophyllo* 10 *Ital.* Unifoglio 11 *Phthora, Ital.* Specie di Aconito. 12 *Cotyledone altera, Ital.* Seconda ſpecie d'Umbilico di Venere.
13 *Vel eſt indeterminatè foliatus, ut in reliquis.*
14 *Secundò reſpectu Ramorum, ſeù pediolorum; Eſt enim Caulis vel ſimplex, ut in Pyrola vulgari ſic dicta à Pyri foliis* 15 *Ital.* Pirola. 16 *in Dente Leonis, Ital.* Dente di Lione. 17 *in Nymphæa. Ital.* Ninfea, ò Nenufar.
18 *Vel Ramoſus, ut in pleriſque; vel inter utrumque ambigens, ut in Primula veris.*
19 *Ital.* Primo Fiore, ò Fiore di Primavera.

Digitized by Google

Tollit, & hirſutâ nomen quæ ducit (1) ab Urſi
Auriculâ. (2) Ipſe etiam ſua per diſcrimina Caules
Diſtrahet haud unus florum ſitus, & nova ſubdet
Admiranda Tibi variæ ſpectacula formæ;
Nanque apice hunc ſummo, ſummoque in vertice flores
Aſpicies, fœtuſque ſuos, fructuſque ferentem:
Jamque (3) hos diſpoſito congeſtos orbe repandum
In caput emitti florente volubile diſco;
Quale refert (4) Cyanus, (5) Scabioſa, & (6) Bellis, & hirtâ
Cum (7) Jaceâ agnato florens (8) Chryſanthemon auro;
Jam longam ſubigi (9) in ſpicam, thyrſumve coactis
Partibus, erecto ſurgentem ad ſidera cono;
Qualis (10) Lyſimachi deducta è nomine Regis
Stirps vernat campis, & aprico purpurat oſtro,
Verbaſcumque (11), ſuoque affinis flore (12) Reſeda
Luteolæ (13), & gravido (14) Biſtorta adjuncta (15) Secali;
Laxiùs aut criſpante (16) jubam promittere thyrſo,
Paniculamve, gravi (17) Milium quâ vertice nutat:
Aut pulchram (18) umbellæ in ſpeciem ſe denique longis

C Fle-

---

1 *In Auricula Urſi, Aliter Sanicula à ſanandis vulneribus. Ital.* Orecchia d'Orſo, *ſic dicta à forma foliorum.*

2 *Tertiò Reſpectu Situs Florum; vel enim Caulis eſt Determinatus ſummo in apice flores emittens.*

3 *Sive ij cogantur in Capitulum, quod ex pluribus conſtat floſculis arctè in Circularem, ſeù diſci figuram congeſtis, ut in Cyano.*

4 *Ital.* Fior Campeſe, ò Battiſecula. *Hetruſc.* Fioraliſo.

5 *Ital.* Scabbioſa. 6 *Noſtrat.* Margaritella: *Hetruſc.* Margheritina. 7 *Ital.* Jacea, Specie di Scabbioſa. 8 Specie d' occhio di Bue: *Sic dictum à luteis floribus aureo colore fulgentibus, & orbem oculi imitantibus.*

9 *Sive in ſpicam, quæ ex floribus in erectum, & acutum conum conformatis coaleſcit, ut in Lyſimachia Purpurea.* 10 *Ital.* Liſimachia di fior porporino. 11. *Ital.* Verbaſco. *Hetruſc.* Taſſo Barbaſſo. 12. *Ital.* Reſeda. 13 *Ital.* Luteola. *ſic dicta à luteo colore, quem pannis illinit.* 14 *Ital.* Biſtorta.

15 *Frugis genus Noſtrat.* Germano. *Hetruſc.* Segale, ò Segola.

16 *Sive in Paniculam, aut Jubam, quæ Spica eſt laxè diffuſa, pendentibus præſertim petiolis, ut in Milio.* 17 *Ital.* Miglio.

18 *Sive in Umbellam, quæ extremitas eſt Caulis in plures longiores pediolos diviſa, qui in latiùs continuò radiati, inque minores diviſi, flores ſuſtinent in orbem circumactos, Umbella in ſpeciem, quâ Sol arcetur.*

Flectere pediolis, aliiſque minoribus inde
Submiſſis, radiatum aptis dare floribus orbem;
Atque ſuo ſibi partu acres defendere Soles:
Vel fructu, aut flore (1) in ſphæram coëunte rotundum
Affectare globum, & pleno ſe efferre corymbo;
Qualem (2) Cępa oculis lacrymoſa, & (3) ſectile Porrum,
Atque (4) Hedera Arborea, & (5) Sambucus Aquatica profert.
Aſt alios (6) latere ex ipſo ſine lege videbis
Pediolis late eductis pubeſcere Caules,
Seminaque, & lætos, ſua gaudia, promere flores.
Eſt etiam (7) ex ipsâ Caulis variante figurâ
Multifidum diſcrimen; abit nam læta ſub auras
Hæc Teres, (8) hanc tractim mordet ſtria, plurimus illam
Sæpius incurrens interſecat angulus, effert
Quâ ſe (9) Marrubium, (10) Lamiumque, & molle (11) Cyperon,
Salviaque (12), & picti præco (13) Campanula Veris.
Rurſum (14) aliis eadem ſolidâ nunc mole cohæret,
Nunc vacuâ, & nodis ſe connitentibus urget.
Sæpè (15) ſitus ſpecimen proprium dabit; imperat arvis
Nam viridi hic Rectus cervice, & mole ſuâ ſtat
Arduus; ille ſuo fulcimine nixus in altum
Evadit, lentoque umbracula vimine texit;
Seque vel adnitens circum ſua fulcra volutus

Im-

1 *Sive in Corymbum, qui extremitas eſt Caulis ità ſubdiviſa, & floribus, ac fructibus onuſta, ut Sphærica figura inde oriatur, ut in Cæpa.* 2 *Ital.* Cipolla. 3 *Ital.* Porro 4 *Ital.* Edera, ò ellera arborea. 5 *Ital.* Sambuco d'acqua; *cui pendulus eſt Corymbus.*

6 *Vel eſt indeterminatus, qui nimirum petiolis è latere eductis flores progignit, ac ſemina.*

7 *Quartò Reſpectu figuræ; vel enim Caulis Tereteſt, ut paſsim præſertim in Bulboſis.*

8 *Vel Striatus, ut in Siciliana: vel Anguloſus videlicet, vel Triquetrus, vel Quadrangulus, vel Quinquangulus.*

9 *Ital.* Marrobbio, ò Praſſio 10 *Ital.* Ortica fatua, òmorta. *quòd foliis ſit non mordacibus, neque pungentibus: Aliter* Milzatella, ò Erba della Milza *ab inſigni ejus adverſus ſplenis duritiem efficacitate.* 11 *Ital.* Cipero. 12 Salvia. 13 Campanella.

14 *Rurſum uterque vel Solidus eſt, vel Cavus, & Inanis, nodis, ſeù geniculis variatus.*

15 *Quintò Reſpectù ſitus; vel enim Caulis rectus eſt, ut paſsim: vel adminiculis indiget; quibus, aut circũvolvendo ſe implicat, ut Lupulus.*

Implicat, ut (1) Lupulus; vel ut alba (2) Bryonia certis
Claviculis ſenſim ſeſe alligat, (3) aut foliorum
Pediolis, ut picta ſalit (4) Fumaria; flexis
Vel tandem cirris, (5) Hederæ ceù vimen, adhæret.
Aſt aliis (6) per humum pronis reptare voluptas,
Radiceſque ſubinde agere, atque emittere frondes;
Quo facili fæcunda (7) ſatu Fragaria gaudet.
Has Tibi (8) delicias forma exerrante parabit
Extima vel Caulis facies, atque ora tenebit:
Tu tamen hic, medicæ ſi Te tenet ullus hiantem
Laudis amor, ne ſiſte: fugax eſt gratia formæ.
Ulteriùs peruade oculis, parteſque latentes,
Queis Radix, Cauliſque ſatu coaleſcit opimo,
Perſcrutare: labor decet hic, ea cura volentem
Noſſe poteſtates Herbarum, uſumque medendi
Altiùs, & doctas agitare impenſiùs artes.
Inde latens plantis virtus patet, inde repoſtas
Prodit opes Natura, diemque educta ſub ipſum
Seque, ſuæque oculis referat miracula dextræ.
Quis Deus omniparæ tanta hæc adyta invia Matris
Recluſit, Muſa? cui primùm arcana tueri
Iſta datum? tantis lux unde affuſa tenebris?
Thyrſis (9) Apollineâ jampridem nobilis arte
Noſcendi incenſus ſtudio, quas ipſe ſalubres
Herbarum fuerat vires expertus, & altas
Rimandi latebras, queis ſeſe conderet ægris
Alma Salus, tantis quæſitùm oracula rebus.

1 *Ital.* Lupolo.
2 *Aut Claviculis ſeſe alligat, ut Bryonia alba;* Ital. Brionia, *Hetruſc.* Vitalba.
3 *Aut foliorum pediculis adnectit, ut Fumaria.*
4 *Noſtr.* Fumoterra. *Hetruſc.* Fummoſterno.
5 *Aut Cirris adhæret, ut Hedera.* Ital. Edera, ò Ellera.
6 *Vel Repens eſt, qui nimirum horizontaliter extenſus, ex intervallo folia emittit, & radices agit, ut in Fragaria.* 7 *Ital.* Erba, che produce le fragole.
8 *Ante autem hæc omnia ipſius harum partium, Radicis nimirum, & Caulis, Anatomes Botanicæ habenda ratio eſt, ad cujus obſervationem fabulâ iter inſternitur.*
9 *Per Thyrſin clariſſimum Archiatrum Marcellum Malpighium intellige, qui omnium noviſſimè eruditiſſimos de Plantarum Anatome in lucem edidit Commentarios.*

Vicinos adiit, laudat quos Felſina, colles.
Ver erat, & Zephyris blandè ſpirantibus omnes
Laxarant tepida arva ſinus: vernabat ubique
Gleba, novos ſubigens pratorum in gaudia flores,
Grataque non ſolito pingebat gramina riſu.
Ipſa (1) novo Botane cenſu florente per agros,
Pæoniæ cultrix Botane lætiſſima pubis,
Aucta, pererrabat vernas, ſua regna, novales,
Altaque ſub propriis luſtrabat germina ſignis.
Jamque novum indulgens huic cultu afflabat honorem,
Jamque olli ſitienti udum Pallantidis uber
Immulgebat: ei patulos gens florea crines
Aſſultat reparans, redditque, hauritque nitorem,
Alternanſque vices carpique, & carpere gaudet.
Inſtant, quæ Divam ſociæ comitantur, & aptis
Pubentem latè ſegetem nitido ungue legentes
Imponunt calathis. (2) Narciſſum hæc ſuavè comantem
Demetit, inflexi crines aut tondet (3) Acanthi:
Illa tuas, (4) Anagallis, opes, gazamque recentem
Mandragoræ (5), & viridem Thymbræ (6) populatur honorem.
Ipſa inter medias graditur, ſignatque legendam
Utiliùs meſſem, & Divûm data munera monſtrat.
Talibus incumbentem orſis, colleſque petentem
Haud procul agnovit Thyrſis, clivoque propinquans
His Divam dictis ſupplex aggreſſus amicis.
Nympha decus nemorum, pratorum gloria Nympha,
Quam ſibi præ Daphne meritam deſpondit Apollo,
Edoctamque ſuas artes compeſcere Clotho
Poſſe dedit, duriſque moras innectere fatis;
Da, quibus hæc præſtas, Herbarum exquirere venas,
Obſtructoſque ſinus, & inobſervabile textum:
Se quibus inſinuet vigor artubus, unde medelam
Sufficiant fata læta, tui per ſi quis amantis
Tangit honos animum: votis haud abſona poſco.
Et mihi plantarum perſpecta potentia, nec me
Infenſum Tibi, Pæoniæ vel laudis egentem
Felſina progenuit, ſcis ipſa; ſed urit abactas

Quæ-

1 *Nympha Botanes ſpecie Rei Herbariæ Facultas adumbratur.*
2 *Ital.* Narciſſo. 3 *Ital.* Brancorſina.
4 *Ital.* Anagallide. *Corchorum aliter alijs appellatur.*
5 *Ital.* Mandragora. 6 *Hetruſc.* Santoreggia, ò Coniella.

Quærendi latebras, explorandique cupido
Quà ſeſe condat plantis vis inſita: tantos
Da ferre in lucem non uno tegmine preſſos
Altiùs, & cæcâ obductos caligine textus.
Sic Tibi Regificis vernans Europa viretis
Uſque litet, centumque aras, centum inſtruat hortos.
Audiit hæc nemorum Præſes, propiuſque Clientem
Contemplata ſuum, contrà ſic ora reſolvit.
Magna quidem, noſtri ò cultor fidiſſime regni,
Magna petis; nec mortalem fuit hactenus ulli
Fas aciem inſerere, & tantos luſtrare receſſus.
Sed quando tam digna viro Te cura laceſſit,
Ne metuas, dabitur: Naturæ arcana recludes,
Et primam hanc referes Victor, me vindice, palmam.
Quà tamen hos aditus, atque hæc penetralia certâ
Aggrediare viâ, paucis, mentem adjice, pandam.
Eſt locus (1) haud procul hinc, vaſtum diſcedit in antrum
Quà Tellus, denſumque ſacrâ nemus accubat umbrâ:
Hic Nymphæ domus eſt, noſtri, cui mortua curæ
Corpora, frigenteſque artus, nervoſque, ſinuſque
Scindere, & immiſſo compagem evolvere ferro;
Illam operi inſtantem crudo, junctiſque ſecandis
Partibus, Anatomen Graji dixere vocantes.
Hanc pete, votorum non jam novus advena ſummam
Hinc referes, diſceſque obtutu cuncta magiſtro.
Ante tamen vitro firmes haud æqua neceſſe eſt
Lumina, & exectas jubeas grandeſcere partes:
Ni facias, ſeſe exili ſub mole tegentes
Quippe omnem fugiant aciem, fallantque videntem;
Nec Tibi (2) quærendi fuerit labor: una Sororum
Ludicra quæ mecum hìc relegit ſata culta Dioptre
Arte laboratum multâ, multoque ſubactum
Turbine ſufficiet: cunctas hoc Indice partes
Spectabis tandem, & voti lætabere compos.
Ipſa adero, & nondum ſatis explorata revolvam.
Sic ait, & ſociam teneris hærentia plantis
Parva microſcopio ſpeculantem inſecta Dioptren

Ad-

(1) *Poëticum in morem ſua etiam Nympha Perſona Anatoma effingitur, & Officina.*

(2) *Sub Dioptres Perſona, Perſpectiva Facultas exprimitur, cujus ſubſidio opus eſt per Microſcopiū ad minutiſſimas Plantarū partes diſcernēdas.*

Advocat, & comitem jungit curæque, viæque.
Ipſa præit, quàque ipſa præit, ſurgentibus ultrò
Ridet humus violis, ſubeunt veſtigia calthæ.
Ponè ſequens Thyrſis vadentem paſſibus urget.
Jamque (1) aderant nemori optato, metamque tenebant
Cum ſeſe ante oculos Platanis umbrata coruſcis
Porticus explicuit, ſolers ubi Nympha ſagacem
Exercet dextram, diſſectaque conſulit exta.
Torva Deæ frons, torva acies, nudata retortis
In cubitum manicis ſordeſcunt oblita tabo
Brachia, prætextus gremio ſordeſcit amictus,
Sordent induſtri reſperſi cæde penates.
Huic explorandum meliùs jam parte reſectâ
Cor erat in manibus, pars evoluenda manebat.
Inde levem tunicam, & geminas detraxerat alas,
Atque coronales venas, queis illud in orbem
Cingitur, & mediâ vivens dominatur in aulâ.
His ſe paſcentem ſtudiis Botane addita raptim
Occupat, & prior hæc: Hominum tot cædibus actis
O nondum ſaturata, hominem, per funera ludens,
Viſa odiſſe, illum noſſes ut ſedula; ferro
Parce, trucemque oculis lanienam hanc ſubtrahe noſtris.
Ut vitæ proſis, aliud te poſcit agendum
Lene miniſterium: penitas da noſcere partes,
Pæonii quibus & Caules, & ſubdita Radix
Texitur, & medicos hominum pubeſcit in uſus.
Hæc potior Te cura decet, laus plenior inde
Te manet: hùc mentem, vireſque adverte ſequaces.
Sic ait: illa novæ laudis dulcedine capta
Extemplo officium ferale abrupit, & æquis
Annuit imperiis, Sanie, taboque fluentes
Fonte manus lavat, obſcœnos tum ponit amictus,
Seque operi accingit. (2) Botane ab Radice revulſum
Subjicit egregium Caulem, mandatque ſecandum.
Illa ſuam contra ſtudiis haud mollibus artem
Aggreditur, parteſque omnes ſcrutatur, & artus.
Corticis (3) execti primùm pars extima apertam
In

1 *Officina Anatomes brevis Deſcriptio, ejuſdemque Anatomes Proſopographia.*
2 *Inſtituitur Radicis, & Caulis Anatome.*
3 *Tres ergo primùm diſcernuntur principes partes, Cortex, Lignum, aut in Herbaceis pars ligno reſpondens, & Medulla.*

In lucem patuit, tum lignum, aut æmula ligni
Altera pars, medioque Medulla interſita ligno.
Singula (1) dein revocans iterata ad ſegmina, dempſit
Cortice cuticulam, ſubſtans mox Dædala ſcalpro
Farcimen ſecuit: ſic & pars lignea textus
Explicuit diſſecta ſuos impunè, ſuumque
Rete Medullæ.(2) Deæ donis Botane aucta reclufis
Edita ſolicitum vocat ad ſpectacula Thyrſin,
Et jubet acutùm penitùs diſcernere partes.
Artifici non æqua tubo juvat auſa Dioptre.
Ipſa notanda docet ſolers, & ſingula monſtrat.
Ingreditur (3) viſu Thyrſis, gaudetque revulſam
Obductis fartam utriculis, (vigor unde virenti)
Cernere Cuticulam, flexo ceù ducitur auro
Annulus, & fulvo in ſeſe redit uſque metallo.
Tum denſum (4) ejuſdem rimatus Corticis ultrà
Tomentum interius, ſubjectaque viſcera, textum
E ſolidis ductum fibris, & rite cavatis
Aſpicit, extentaſque illas, iterumque reflexas
Retis in effigiem vario molimine plecti.
Quin etiam (5) maculis quà Rete minoribus ultrò
Fibratum patet, & verſus diducit hiantes,
Protendi utriculos deprendit, & addita cuique
Vaſcula (6) germanum plantæ ſervantia ſuccum.
Par videt (7) in ligno textum, par Rete, fibriſque,
Utriculiſque, tument & quæ gentilia, Vaſis.
Suſpicit hæc plantæ proprio turgentia ſucco,

Inque

1 *Cortex rurſum dividitur in Cuticulam, & ſubſtantiam, quam vocant Interiorem.*

2 *Prædictarum partium ſingillatim Botanes verbis pertexitur obſervatio.*

3 *Corticis igitur Cuticula Utriculis inſtructa eſt horizontali ordine locatis, quibus ſeù gelu, ſeù ætatis vitio exuctis, illa ſæpè in aridam deſciſcit epidermidem.*

4 *Subſtantia verò interior ligneis fibris fiſtuloſis reticulatim implexis compingitur.*

5 *Utriculis etiam in radios diametrales ligneas fibras, & vaſa ſuccum ſpecificum deferentia intercurrentibus à Cortice ad Medullam extenſis.*

6 *Necnon vaſis ſuccum plantæ proprium, ac ſpecificum deferentibus,*

7 *Par ex iiſdem partibus Textura in ligno, ſeù parte illi reſpondente: ubi vaſa ſpecificum plantæ ſuccum continentia in tot circulos diſpoſita cernuntur, quot ſunt tunicæ, ſeù involucra annui incrementi à Medulla ad Corticem.*

Inque orbem digeſta, ferunt prout annua Trunci
Incrementa, pari circum redeuntia gyro.
Hìc etiam (1) nova pars non ante inſpecta videnti
Occurrit, longo torquens ſe ſquamea tractu
In gyrum Trachea: redit ſpiralis in orbem
Fiſtula, contorto crebram ceù lamina ſerpit
Argento in ſpiram, & parvis riget aſpera ſquamis.
Tu quoque (2) viſa tuum fibratum Rete, Medulla,
Prodis aperta, fibris & mollibus intertextos
Utriculos, hìc majori ſe mole ferentes,
Vaſaque per molles circumſita marginis oras
Stirpis Apollinæ genuino turgida rore.
Dædaleos Thyrſis textus miratur, & altè
In tenui haud tenues ductas ſubtiliùs artes.
Nec ſatis expletur viſu, revolutaque voluit.
Cum tantâ rerum Botane novitate fruentem
Evocat, & notas meliùs ſic format ad artes.
Quæ dudum optaſti rerum ſpectacula voti
Compos habes; inquit; partes, quibus herbida conſtat
Vita, tenes: Cortex hic eſt, (3) hęc lignea plantæ
Altera pars, fibris quæ texta impenſiùs arctis
Dat ſolido campis plantas conſiſtere niſu,
Atque hærere ſolo, & validos contemnere ventos,
Illa, (4) latet mediâ quæ ligni in parte, Medulla eſt,
Humano ſuppar cordi, Cerebrove; tumeſcat
Non plantæ quamvis pro mole, at diſpare ſubſtet
Sæpè habitu; turget nam nunc craſſiſſima, qualem
Oxyacantha, (5) Rhoeque, (6) & amara (7) Abſinthia claudunt;

Nunc

1 *Peculiaria in hac ligni parte deprehenduntur Vaſa aeri excipiendo, ac derivando deſtinata, quæ Fiſtulas ſpirales, & Tracheas appellat Malpighius, argentea veluti lamina in ſpiram contorta conflatas, & ſquamatis diſtinctas particulis.*

2 *Suis Medulla minutiſsimis fibris reticulatim implexis, conſtat; necnon utriculis hìc magnitudine præſtantibus, quibus vaſa ad marginem ſociantur proprio plantæ ſucco turgentia.*

3 *Porrò lignea plantæ pars fibris ligneis præ cortice numero majoribus conſtat ad Caulis firmitatem.*

4 *Medulla humano cordi, aut cerebro in plantis reſpondere creditur. Huius verò Magnitudo non ſemper Caulis, aut Trunci magnitudini reſpondet, ſed varia eſt. Ampliſsima in oxyacantha,* 5 *Ital.* Creſpina. 6 *Rhoe. aliter Rhùs, ſeù Erythros nuncupatur. Ital.* Rhù, ò Summach.

7 *Abſynthio.* Ital. Aſſenzlo, *Hetruſc. etiam* Santonica.

Nunc (1) duplò minor, ut Pinus quam condit, & ingens
Fraxinus (2), & certos (3) Juglans quæ terminat agros.
Tenuior (4) eſt, Quercus quam fert, (5) Coryluſque, (6) Pyruſque;
Aſt (7) eadem umbriferæ tenuiſſima provenit Ulmo;
Hanc (8) tamen in cunctis fruticum Radicibus altè
Subjectam ne quære: caret graveolentior illâ
Stramonii Radix, noſtri caret advena veris
Nicoſiana: vacant aliæ quâ parte recedunt
Inferiùs, produntque novo ſibi more ſupernè.
Quin (9) & iis, quibus illa ſubeſt uberrima, plantis
Non ſemper ſic læta viget: citò defluit; illam
Perquirenti unquam ſi quis contingat, in uſum
Carpe Machaonium, primo cum plenior anno
Concreſcit latitans, & pingui roſcida ſucco eſt.
Primâ ætate viget, primo venit utilis anno:
Hic ubi tranſierit, ſimul ipſa areſcit, & omnem
Dimittit ſuccum, virtuſque expirat in auras
Irrita: pelliculæ introrsùs volvuntur inanes.
Nunc Vaſis, (10) quibus has nuper coaleſcere partes
Spectatum ſatis eſt, quæ vis, quæ munia, & uſus
Obtigerint, diſcendum ultrà eſt (11). Quos undique ſparſos
Fibrarum per texta fuit ſpectare voluptas
Utriculos, viridis commune parenchyma trunci,
Radiciſque ferunt; (12) neque enim tranſverſâ vagantes

1. *Anguſtior fere duplò in Pinu. Ital.* Pino. 2. *Fraxino. Ital.* Fraſſino. 3. *Juglande Ital.* Noce.

4 *Minor adhuc in quercu. Ital.* Quercia. 5 *In Corylo. Noſtrat.* Nocella. *Hetruſc.* Nocciolo. 6 *in Pyro. Ital.* Pero.

7 *Minima in Ulmo. Ital.* Olmo.

8 *Hujuſmodi Medulla non omnium Plantarum Radicibus communis eſt; nonnullæ enim, ut Stramonij. Ital.* Stramonio; *Nicoſiana. Ital.* Erba del Tabacco, *ea carent: Quædam aliæ, quamvis parte inferiore nullam habeant, ſupernè tamen ſatis conſpicuam produnt.*

9 *Id verò certum, ſi quis Medullæ uſus incidat, primo anno legendam eſſe: poſt id tempus exareſcit, nec unquam aliàs ſuccum admittit. Unde molles, laxæque ſuperſunt pelliculæ.*

10 *Jam verò qui ſit Vaſorum ſuprà memoratorum uſus, quidve in iis contineatur, ulteriùs enucleatur.*

11 *Utriculi non niſi commune Corticis, ligneæ partis, ac Medullæ Parenchyma ſunt.*

12 *Neque enim ſuccum à vaſis aliis diverſum continent, ſed inter ea medium obtinent locum; Et vel ſucco crudiori concoquendo inſerviunt, ut vult Malpighius;*

Exorti ſua diſtendunt gravia ubera ſucco;
Sed vel vicinis è lymphæ-ductibus hauſtum,
Si quis ineſt, crudum excipiunt, recoquuntque, propinqua
Vaſa inter medii, ſtirpiſque in ritè ſubactum
Exaltant alimentum, aſſuetaque dona miniſtrant;
Vel furtim (1) è ſpiris vitalibus aëra carpunt,
Inque alia inſpirant ſuccis data vaſa ferendis:
Ut quæ ſuccreſcens Animantum in pectore turget,
Pulmonemque inflat veſicula multa, repandis
Tracheæ exceptum è bronchis trahit aëra, & omnes
Provida in Arterias ſenſim partitur hiantes.
At quæ (2) lignoſæ viſa eſt tantùm addita parti,
Haud alibi comperta, minutiſque obſita ſquamis
In ſpiram Trachea, leves illâ ætheris auras
Pæoniæ fruges conſueta in munia vitæ
Accipiunt, redduntque: habiles hâc germinis artus
Ventilat, & ſtirpes vitalis recreat aër.
Haud plantis (3) nequicquam altrix Natura paravit
Id genus inſtrumenta; dedit ſic grandia poſſe
Adſtringi in ſeſe, laxari aut Robora, flexus
Sicubi ràmorum, curvaturæque juberent,
Concluſique pati refluos moti aëris æſtus,
Sicubi laxaret preſſas violentior auras.
Hinc vaſa (4) hæc cudit quotquot ſunt maxima (tantùm
Succiferis propriis, plantæ quæ cortice claudunt,
Exceptis) totumque dedit percurrere lignum.
E cœlo (5) liquidas tanti eſt Viventibus auras Du-

1 *Vel etiam aëri è fiſtulis ſpiralibus excipiendo, & in vaſa ſuccifera derivando; non ſecus ac in Animalibus pulmonum veſiculæ aërem è bronchis Tracheæ exceptum Arteriis impertiunt; ut opinatur Grevius.*

2 *Fiſtulis ſpiralibus, ſeu Tracheis, quæ peculiaria ligneæ partis vaſa ſunt, aër defertur.*

3 *Id genus Tracheas eatenus à Natura paratas opinatur Malpighius, ut ità ſcilicet conſtrictionem, ac dilatationem in vehementibus flexuris, & curvationibus arborum, & in elaſtice concluſi aëris motu pati poſſent.*

4 *Hinc eſt, quod vaſa hæc, exceptis ſucciferis Corticalibus propriis, omnium longè maxima ſint, & paſſim obvia.*

5 *Hinc etiam colligitur quanta ſit vel ipſis in plantis reſpirandi neceſſitas. Natura ſiquidem in ſingulis viventium ordinibus varia, ſed analcga paravit inſtrumenta, quæ pulmones vocamus: hoc tamen diſcrimine, ut quæ perfectiora nobis cenſentur, ea minori pulmonum apparatu gaudeant. Hinc plantis, quæ ultimæ ſortis ſunt, Trachearum numerus maximus.*

Du cere, & aſſiduo penitùs perflarier hauſtu.
Quin nulli, ùt rerum ſolers tibi ſuggeret uſus,
Viventum genere ex omni tanta obtigit unquam
Vis trachearum, numeruſque, atque inſita pulſæ
Spiramenta animæ: minus hoc gaudetis anhelo
Flabrorum auxilio, fortiſſima Quadrupedantum
Pectora, pennigeræque acies, & muta natantum
Agmina, voſque ſolum pronâ quæ verritis alvo
Inſecta, et patrias colitis ſine ſanguine lymphas.
Per certos diſcreta gradus ut vita recedit
Nimirum in pejus, vitæ ſpiracula creſcunt.
Id verò (1) hic anceps, vaſa hæc quà pervius intret
Spiritus, & fruticum virides vapor irriget artus:
Radicis-ne ſibi defoſſa per oſcula cæcum
Sternat iter? Teretis-ne poros per Caudicis? an quos
Diducunt folia, & certo ſæpè ordine ſignant.
Quales læta ſuis (2) arbor Cybeleïa prodit
Diſpoſitos foliis, diſpuncto aut cortice quales
Indica (3) ſubjectos oculis exponit arundo.
Sunt qui vitales auræ ſpirabilis hauſtus
Hàc duci, inque avidas certent immittere ſtirpes.
Tu tamen (4) hàc aliquid puri licet ætheris intret,
Hanc ſuetam ne rere viam: latet illa ſub altis,
Plurima quas Trachea ſecat, Radicibus: auris
Certior hàc aditus diducta per oſcula: ſucco
Hàc ſeſe immixtus non ſegnior ingerit aër,
Tracheaſque replet, ſtirpemque invadit in omnem.
Nempè(5) quod os reliquis Animantibus, abdita præſtat
Hoc plantis Radix, majoribus obſita duro
Præ Trunco utriculis, & pluribus, aëris æquas
Queis unà exceptas partes diſcriminet hauſto
A ſucco, & plantis vitamque, animamque miniſtret.
Sic etiam (6) melius concordi fœdere ſurſum

 Aëris,

1 *Quà aër ſe in Tracheas inſinuet accuratè diſquiritur.*
2 *Pinus nempe Cybela ſacra ab ethnicis putata Ital.* Pino.
3 *Ital.* Canna d'India.
4 *Veriſimilior ſtatuitur per Radicis oſcula aditus, quà ſuccus etiã ducitur.*
5 *Ratione id etiam ſuadetur: Tum quia Radix in plantis Animalium ori reſpondet.*
6 *Tum quia ſic meliùs conciliatur aëris æquè, ac Succi motus, quin alter alteri adverſus officiat; ut accideret, ſi vel per Trunci poros, vel foliorum ſe ſe aër in lignum immitteret.*

Aëris, & ſucci motus conſpirat in altum
Aſcenſu facili, & neuter contrarius obſtat:
Ut tamen accideret, Trunci ſi forte per alta
Spiramenta, vel è foliis irrumperet aër.
Hic nanque immiſſus partes Radicis in imas,
Miſceri queat ut ſucco, deſcendere contra
Admiſſum ſucci motum deberet, & ipſum
Tendentem ſurſum adverſo propellere niſu:
Atque hinc alterius conatibus obvius alter
Iret, & alterno fereret luctamine pugnam.
Hùc(1) avidas nunc flecte acies, fibraſque cavatas,
Queis Cortex, lignumque pari unanimine præſtat,
Contemplare: vehit lignoſa hæc fiſtula lympham,
Hinc dictus Lymphæ-ductus, quà limpidus humor
Inſilit, herbarumque ſinus purâ irrigat undâ.
Jam vero (2) hic idem, ne quid te fallat, in altum
Vi tanta aſcendit verno ſub ſidere, ut ictu
Sæpè laceſſitus viridi de vulnere paſſim
Defluat, & riguo exundans lavet ubere truncum,
Omnia par puro latici, guſtumque, coloremque,
Et liquidum ingenium, & rigui diſpendia lapſus.
Scilicet hoc primùm ſe tempore pleniùs humor
Inſinuat, dum Terra ſuos, dum conſita laxant
Ipſa etiam virgulta ſinus. Hinc (3) pervia ductis
Non modo lignoſis ſolito de more recurrit
Unda canaliculis, æſtu ſed divite laxis
Tracheis quoque ſe miſcet, ſurſumque ſuburget.
Uberior ſalit hinc liquor, & ſua vulnera fuſis
Proſequitur lacrymis, & cortice liber inundat.
Nec verò(4) hunc inter dumtaxat, & ardua ligni
Munimenta liquor refluus ſubit: Intimus ipſam
Craſſitiem totam ligni pervadit; & omnem

Ve-

1 Eis in tenuis fiſtulis, quibus & Cortex, & lignum componitur, lympha continetur: quod in cauſa eſt, cur Lymphæ ductus appellentur.

2 Succus hic limpidus verno tempore uberiùs aſcendit, atque exudat, ſub ipſum fluxus initium elementari aquæ in ſpeciem haud quaquam abſimilis.

3 Vaſa autem, per quæ movetur, auctore Grevio, non modò ſunt lymphæductus, verùm etiam fiſtulæ ſpirales, ſeu Trachea

4 Per quæcumque tamen vaſa aſcendat, non tantum inter corticem, & lignum, ut vulgò olim creditum, ſed per totam ligni craſſitiem aſcendere experimenta evincunt. Trunco quidem terebrato, quò altiùs deſcendit vulnus, eò copioſior ſuccus extillat.

Veſtigat penitus partem, ſeque abdit ubique.
Nonne vides, ferro cum flet terebratus acuto
Truncus, ut hòc fluat uberius de vulnere ſuccus,
Altiùs imprimitur quò vulnus? ſcilicet ipſis
E vaſis, medio latitant quæ Caudice, rumpit
Crebrior ille, ſuoſque refert hùc plenior æſtus.
Hinc eſt (1), ut cæſo jampridem ſtipite, ſuccus
Cum torperet adhuc; quod nullâ aſpergine ſiccum
Vulnus erat, deſtillet eo ſaliente, ſuaſque
Tum demùm, via quà patuit, memor egerat undas.
Hinc etiam (2) ſuccum niti non ſemper in altum,
Succiferis verùm certâ quoque lege deorſum
Impelli è vaſis nativo pondere diſcis.
Hæc tibi (3) certa dabit Radix quæcunque reſecta
Acutùm documenta: dabit quæcunque bipenni
Virga (4) exciſa, ſuo cum jam madet uvida ſucco;
Nam recto ſuſpenſa ſitu, quâ parte ſupinam
Spectat humum, gravibus rorabit deflua guttis.
Hæc eadem (5) ſectus cæſim Tithymalus, & omnis
Lacteſcens pubes ſpectacula reddet; utrâque
Nam de parte, ſuprà tam quæ eſt, quàm quæ objacet infrà,
Irriguo pariter cernes roreſcere lacte.
Quin (6) Tibi ſumatur ſi ſectus utrinque ſalignus
Surculus, extantique Tubus dein ductile labro
Addatur cerâ effictus, tùm ritè capaci
Puro infundatur Najas, quæ prænatat, amne;
Quàm primùm aſpicies infernâ è parte refuſum
Paulatim fluere, & fibris tranſmittier amnem. Quid

(1) *Hinc eſt, quod ex inciſione jam ante Arbori facta, quàm ſuccus aſcenderet, cum hic aſcendere incipit, arbor illacrymet.*

(2) *Colligitur rurſum ejuſmodi ſuccum in prædictis fibris tam ſurſum, quàm deorſum liberè moveri.*

5 *Nam diſſecta Radice aliqua, ab utràque parte, hoc eſt tam à ſuperſtite, quàm à diſſecta ſuccum extillare comperies.*

4 *Item Virga Salicis, aliuſve Arboris, cum ſucco turget, reciſa, ab inferiori parte perpendiculariter ſuſpenſa lacrymas aliquandiù dabit.*

5 *Idem in Tithymalo, Hetruſc.* Tutumaglio, *aliiſque lacteſcentibus cernere licèt; quæ diſſecta ab utràque parte, tam ſuperna, quàm infernâ ſuccum lacteum effundunt.*

6 *Quin ſi Saligna, aut Acerna Talea utrinque reſecta ſuperiori extremitati vaſculum è cera conformatum agglutines, eique perpedicul.riter adjacenti aquam infundas, brevi aſpicies ab inferiori extremitate paulatim extillare, donec tranſmittatur tota.*

Quid (1) majora Tibi rerum miracula ſubdam
Haud pridem comperta? Fuit, qui caudice ſerrâ
Tranſverſim cæſo, quo ſtabat adultior arvis
Betula (2), continuâ Trunci dein parte relictâ,
Ex intervallo par actâ in vulnus eâdem,
Non modò ſubjecto ſenſim de vulnere rores
Deciduos volui, pariter deprendit ab illo,
Quod ſpatio ſuperabat, & æquo erumpere fluctu:
Nec tantum hoc, primo impreſſus cùm ſegmine ſulcus;
Sed poſtquam plures Aurora retexeret ortus,
Sed poſtquam exhauſto Ros interſiſteret imbri.
Aſt unde (3) irrigui tam conſtans copia roris
Exectis dudum vaſis, niſi hiantibus hauſtum
Ex aliis, intacta ſibi pars altera trunci
Quæ tulerat, fateare? Suo ſibi pervia ſucco
Scilicet occurrūnt interdum vaſa, liquentes
Diducuntque fores, atque oſcula mutua jungunt.
His animo (4) fidens, duris dediſcat Agreſtis
Arboribus tabem extremam, mortemque timere,
Cum fortè obducti viduantur Corticis uſu
Vel parte ex aliquâ, ſed circumquaque reſecti.
Non ita (5) res anguſta, nec id plantæ ocyus omnì
Accidit, aut ſemper, ſed ſæpe vigentibus intùs,
Seque ultrà ligni partem trudentibus orbam
Cortice, ſucciferis nexis per mutua vaſis
Vita ſtetit, multoſque virens ſuperavit in annos.

1 *Aliis etiam experimentis compertum Vaſa hujuſmodi ſuccifera per mutuas Anaſtomoſes inter ſe communicare. Nam ſerrâ altè tranſverſim inciſo Betulæ* 2 *Ital.* Betula, ò Bettola, *adultioris caudice, deinde interpoſito ſpatio in parem altitudinem ſerrâ iterum adactâ, compertum eſt, non ex inferiori dumtaxat parte lacrymaſſe truncum, verum etiam è ſuperiori, & quidem aquâ lacrymarum vi. Idque non modò cum primum impreſſi Serrâ ſunt ſulci, ſed etiam poſt aliquot dies, & cum jam fluxus interſtitiſſet.*

3 *Vaſa autem diſſecta non aliundè ſuccum excipere potuerunt, niſi ab integris, & intactis in altero Trunci latere aſcendentibus, cum quibus per Anaſtomoſes jungebantur.*

4 *Colligitur ex his ſectionem corticis circularem non ſemper omnem arborem perimere, ut vulgò creditur.*

5 *Beneficio ſiquidem Anaſtomoſit Vaſorum in pleriſque non ſemel vita ſtetit.*

Sic in (1) in Agrifolii (2) compertum caudice, læſis
Sic (3) Opuli in ramis, (4) Saliciſque, atque alta Tonanti
Quos ſacros (5) Quercus, quos (6) Populus alba maritos,
Prunorumque (7) genus, Maluſq; (8) Cydonia jactat.
Hos ſedenim agnato quamvis nudarit in orbem
Cortice dura manus, tamen hinc haud ſegniùs illi
Trans nudum lignum viſi durare, noviſque
Auctibus inſtantes viridi pubeſcere luxu.
Nimirum (9) hic præter vaſa intus hiantia, Rami
Queis viget exuperans viduam pars integra partem,
Quam Quercus, Prunique, ſuoque Cydonia malus
Cortice præcipuè promittit longius, uda
Utriculis ſeries vitæ perſæpè tuendæ
Subſidio eſt; nanque inde procul demittitur exors
Non rarò appendix: ligni illa volubilis orbam
Invadens partem veſtit, ſectoque cohærens
Corticis extremi labro rurſum oſcula jungit
Mutua, & excluſæ reddit commercia vitæ.
Hinc nova ſubjecto repetens compendia trunco
Diſſita pars, trahit inde ſuæ majora Juventæ
Incrementa, novoque vigens protuberat auctu.
Cum tamen interea ligni pars Corticis expers
Subſiſtat gracilis, Ramique inveſte quod infrà eſt.
At non (10) Phryxæi tantùm ſub ſideris ortus,

Quæ-

1 *Sic obſervatum in Agrifolio, detracto ex Cortice palmaris propè latititudinis annulo: & à Malpighio in Ramis Opuli, Prunorum, Mali Cydoniæ, Quercus, Salicis, Populi; in quibus, facta pari ſectione, obſervata eſt pars ſuperior ſurculi, ſeù Caudicis vegetans ſuprà ſectionem ità excreſcere, ut longè turgidior redderetur.* 2. *Ital.* Agrifoglio, ò Acquifoglio 3 *Aliȷs Corni Species, aliȷs Aceris Ital.* Opulo. 4 *Noſtrat.* Salice *Hetruſc* Salce, Salcio, ò Saligaſtro. 5 *Ital.* Quercia 6 Pioppo 7 *Noſtrat.* Pruno. *Hetruſc.* Prugno., ò Suſino. 8 Cotogno, ò Mel Cotogno.

9 *Hujus autem experimenti hæc ulterior Cauſa aſsignatur, quòd in Quercu præſertim, Pruniſque, ac Malo Cydonia, Cortex horizontales utriculorum ordines itâ elongat, ut non rarò appendices promantur, quibus denudata ligni portio cooperitur, & facta denuo mutuâ Anaſtomoſi cum inferiori ſecti Corticis labro continuus redditur cortex; atque hinc eſt, ut ſuperior pars craſsiùs protuberet, parte interim denudatâ, eâque, quæ infrà eſt, gracili ſubſiſtente.*

10 *Animadvertendum hìc non omnem Arborem, nec verno dumtaxat tempore lacrymas dare.*

Quælibet aut lacrymas Arbor dabit icta: quibuſdam
Eſt flendi mos iſte ſtato ſibi tempore. Certos
Icta Salix (1) fletus (2), Vitiſque, & (3) Betula reddet,
Atque (4) Acer, & (5) Juglans, & amicâ (6) Carpinus umbra.
Hi nemorum (7) Fauni quondam, ſed Najades illæ
Heliadum comites, quos dum Phaëtontis in undas
Eridani lapſus, luctuſque Sororibus auctus
Detinet attonitos, pigrâ radice teneri
Ipſi etiam ſenſere. Stupent ſub Cortice ſenſus,
Sed tamen intus adhuc vegetat dolor: Æmulus alti
Heliadum luctus ſeſe nam ſaucius ultrò
Eliquat, & lacrymis electra Sororia penſat.
Tum magis (8) illacrymans, gelidâ cum nocte repulſâ
Alta petens Titan memores magis evocat æſtus;
Urget enim flendi ſtudium vis addita Brumæ,
Dum vetat, adſtrictaſque rigens mage provocat undas.
Hinc (9) ſi forte gelu vehementius ingruat arvis,
Incumbatque diu, miti cum Bruma tepore
Incipiet rurſum devicta remittere, guttas
Uberiùs longè aſpicies devolvier, & ſe
Per viduos artus largis impellere rivis.
Præſertim (10) medium ſi ver corrumpat acuto
Aura gelu; tùm quippe Arbos licet ante refuſis
Ubertim lacrymis indulſerit icta, repentè
Deſuetos repetet luctus, iterumque ſub ipſum
Illacrymans Solem reduci ſe proluet imbri.
In primis (11) altum riguo fovet imbre dolorem

Malus

1 *In eſſe ſolemne magis Salici.* Ital. Salice, o Salcio 2 *Viti. Ital.* Vite, 3 *Betula* Ital. Betula, ò Bettola 4 *Aceri. Ital.* Acero 5 *Juglandi. Ital.* Noce 6 *Carpino Hetruſc.* Carpine.

7 *Hoc ipſum Fabulâ exornatur.*

8 *Succus ex his emanat uberiùs poſt nocturnum gelu, adulto jam Sole, & circà Meridiem maximè.*

9 *Poſt gelu vehementius, ac diuturnius, cum frigus incipit remittere, ſuccus quamqui maximè uberrimus effluit, etiam è vulneribus jampridem impreſſis.*

10 *Quod adeò verum eſt, ut ſi gelu fortè inciderit medio jam vere, cum ſuccus extillare deſiit, fluxum denuò repetat, & matutinis ſaltem horis emanet.*

11 *Acer Majus Autumno etiam poſt delapſa ſtatim folia, & ſequenti inſuper hyeme ſuccum emittit; ubi aëris temperies gelida, & leviter pruinoſa contingat.*

Majus Acer, Clymene genitus cui charior olim
Ante alios, Faunus; nam non ſub florida tantùm
Tempora, quæ cornu Taurus ſtellante recludit,
Autumnum quoque ſub ſerum, frondentibus umbris
Jam poſitis, Hyemiſque atræ ſub frigora, longos
Producit luctus, lacrymiſque indulget obortis,
Lenè pruinoſo quas Bruma laceſſit Eoo.
Sæpè (1) ſub aggeribus niveis dum Terra lateret,
Et lacrymas ſtipes glacie prohibente negaret,
Forte execta, patens dejecto Caudice, Radix,
Hærebat quâ parte ſolo, dare viſa liquentes
Spem præter fletus, crudamque aſpergere brumam:
Seu vapor (2) obſtantis circum vi frigoris intrò
Adſtrictas terræ in venas compulſus opertam
Radicem opplerit ſubiens, ſeceſſerit illuc
Seù dolor, incertum eſt. Aquei Tibi limpida ſucci
Munera ſit ſatis, & motus ſpectaſſe repoſtos.
Effluat (3) hic quacunque velit: Solertiùs illum
Tu lege, qui propriis plantæ devolvitur undans
E vaſis, patriique refert inſignia Trunci.
Hic Tibi Pæonias magis utilis imber in artes,
Seù liquidus ſcateat, pinguis ſeù glutinis inſtar
Hæreat, & varium variâ trahat indole nomen.
Scilicet (4) hic varius vario pro Germine, lymphæ
Nunc fluit in ſpeciem pellucidus, albidus exit
Nunc lacti ſuppar, croceo nunc concolor auro.
Sæpe etiam (5) ſuperas hic idem emiſſus in auras
Concreſcit, craſſoque refert lentore tenacem
Reſinam, aut Gummi, viſcoque ſimillimus hæret;

E Hunc

1 *Obſervatum pariter ſummâ hyeme, cum Tellus nive obtegeretur, Radicem Aceris Majoris diſciſſam, è parte humi hærente uberrimè lacrymaſſe; cum tamen vi frigoris è Trunco nullus flueret liquor.*

2 *Hujuſce phænomeni aliqua in medio relinquuntur Cauſa.*

3 *Ante alios verò illius habenda ſucci Ratio, qui Plantæ proprius, ac Specificus appellatur, atque in Vaſis ſibi addictis ſuprà memoratis continetur.*

4 *Hujus varia eſt ex Malpighio natura; frequenter enim aquei, diaphanique humoris ſpecie effluit; quandoque lactis inſtar, non rarò luteo inficitur colore.*

5 *Interdum ſemiconcretus lentorem acquirit, concreſcitque in Reſinam, aut Gummi; aut aliud Craſſamentum inter Gummi medium, & Reſinam.*

Nunc medii generis jacet inter utrumque biformis.
Quæ Tibi noſcendi interea ſit norma legenti,
Quæve appellandi, paucis, adverte, docebo.
Qui (1) flammâ invictus flãmas haud concipit unquam,
At lauri de more ſacros crepitu abdicat ignes
Fervidus, & purâ tantum diſſolvitur undâ,
Gummi eſto: dat quale ſuis Panchaïa ſylvis
Arabicum, aut molli Ceraſus de cortice trudit;
Siccus (2) enim aut nullo eſt mixto gravis unguine mucor,
Aut certè exiguo, flammæ non aptus alendæ.
At (3) qui pauper aquæ cognatâ imbutus abundat
Pallade, ſubjectis habitu proin pinguior undis
Diſſolvi renuens uno liqueſcit olivo,
Sit Reſina; ſuo qualem de nomine dictam
Sufficit humenti vernans (4) Terebinthus in Idâ,
Aut Montana Abies, aut fluctivago Ægeo
Lentiſcis (5) lapidoſa Chios ſubmittit amaris.
Cui (6) demum æqua ſubeſt mixtâ cum Najade Pallas,
Tamque ſequax latici, fluido quàm cedit olivo,
Sit medii generis, Tyriis ut (7) Galbanus arvis,
Et fulvum (8) Sagapenum, (9) Ammoniacumque ſal ubre.
Hunc benè (10) ſi primâ repetas ab origine, ſuccum Lacti-

1 *Gummi eſt ſuccus concretus, qui in aqua facilè diſſolvitur, in igne verò nec liqueſcit, nec flammam concipit, ſed crepitat; cujuſmodi eſt Gummi Arabicum, Hetruſc.* Gommarabica, *& Ceraſi. Ital.* Gomma di Ceraſo, *Hetruſc.* di Ciriegio.

2 *Nihil enim eſt aliud, auctore Grevio, quam Mucilago exiceata parum, vel nihil olei continens.*

3 *Reſina eſt liquor pinguis, & oleaginoſus, ſapè ſponte ex arbore defluens, qui cum aqua parum, plurimum olei contineat, in aqua non diſſolvitur, ſed in oleo dumtaxat, 4 ut eſt Terebinthina, quæ ex Terebintho ſudat, aut Abiete, Noſtrat.* Trementina.

5 *Et Maſtiche. Noſtrat.* Maſtice. *Hetruſc.* Maſtica, ò Maſtico. *quæ ex lentiſcis in Inſula Chio provenit laudatiſſima.*

6 *Qui medij generis eſt ſuccus, eſt concretus cum partibus ſuis oleoſis tantundem penè aqua admixtum habens; ideoque tam in aquâ, quam in oleo diſſolvi poteſt; ut eſt Galbanus 7 Ital.* Galbano.

8 *Sagapenum.* Ital. Sagapeno. *Hetruſc. etiam* Serepino. 9 *Ammoniacum. Hetruſc.* Armoniaco,

10 *Id generis ſuccus principiò aliud non eſt, quam lac concretum facilè inflammabile. Cujuſque enim plantæ lacteſcentis ſuccus probè exiccatus flammam facilè concipit, eamque lucidam, ac diuturnam emittit; non ſecus ac Pix liquida, & Terebinthina.*

Laſtifluum invenies, qui mox concretus opimum
In g luten coiit, flammis victricibus aptum.
Scilicet è plantâ qui lacteſcente volutus
Sæpè fluit ſuccus, facilè incandeſcit in ignes,
Illum ſi ritè exicces, flammamque receptam
Luce diù nitidâ pingui ſatur unguine nutrit;
Non ſecus ac admotâ ardet Terebinthina tædâ.
Ipſa (1) juvat ſpiſsâ ſubigens uligine lympham
Materies oleoſa, citas quâ nulla favillas
Promptior arripere, atque avidæ dare pabula flammæ.
Lacteus (2) hinc ſucco venit color, albicat undè
Qui liquor exundans Animantum ex ubere manat;
Par quippe albeſcens utrique coloris origo:
Qui (3) ſi olei de parte ſero vi denique multâ
Diſcluſo, in ſua difflueret divortia, utrinque
Perſpicuus, puræque inſtar pellucidus undæ
Humor erat, juncti qui nunc ope fœderis albet.
Aſpice cum clauſum vitrei intra concava vaſis
Cinnamon, (4) aut æſtu lento torretur Aniſum,
Qui primò vapor it ſurſum ſpectantibus alget
Pervius uſque oculis, vitreoque haud diſcolor amni.
Purior at tandem exhauſtus cùm ſpiritus, & cùm
Craſſior aſcendens oleoſas fumea ſecum
Lympha rapit partes, roremque immiſcet in unum,
Tum verò inficitur vapor ilicet, auctus & album
Ebibit affuſo turbatus lacte colorem.
Hanc (5), quæcumqne ſuo de ſtipite lacryma manet,

 Sive

1 *In Cauſa eſt partium oleoſarum admixtio.*

2 *Color enim lacteus in plãtarum ſuccis ex oleoſarum partium cum aqueis admixtione oritur, non ſecus ac in Animantium lacte.*

3 *Argumento eſt, quòd ſi oleoſa lactis partes à ſeroſis ſeparentur, utraque diaphana evadunt.*

4 *Hinc etiam in deſtillatione Aqua ex Aniſo. Ital.* Aniſo, *aut Cinnamomo, Noſtrat.* Cannella, *Hetruſc.* Cennamo, ò Cinnamo, *qu primum exit Spiritus, limpidus eſt, & diaphanus: Cum verò maximâ illius parte exhauſtâ, reliqua aſcendentes aquea particulæ oleoſas ſecum ſurſùm rapiunt, liquor turbidus, & albidus, ac ſi lacte ſuffuſus eſſet, evadit.*

5 *Succus hic plurimùm ad uſus Medicos commendatur: Doctiſsimo quippe Malpighio ſanguini animalium reſpondere videtur; Eruditiſsimo verò Rajo ei, quam Barbari Plantæ Quinteſſentiam vocant, utpot e qu planta, odorem, ſaporemque, ac vires velut in arctum coäctas contin ea*

Sive laceſſitam ferro , ſeù ſponte fluentem
Tu ne temne ; ſuis namque illa vel abdita venis
Sanguinis inſtar habet , vel pars eſt purior inde
Dimanans ; ſervat quæ ritè expreſſa ſaporem ,
Vimque Machaoniam , & plantæ genitalis odorem ,
Clauſus & in parvo patrius vigor omnis in illâ eſt ,
Hæc docet , & ſeris mandat tranſmittere ſeclis
Thyrſidi plantarum cultrix Dea : protinus ille
Arripit , & ſecum memori ſub pectore verſat .
Intereâ prono ſuccedens Veſper olympo
Inde monet Nymphas diſcedere : Docta relinquunt
Atria : ſucceſſu felix ſibi dædala plaudit
Ipſa etiam Anatome , denſiſque educta tenebris
Mira ſtupens inventa , ſuo ſe condit in antro
Clarior , & famam meritis majoribus auget .

Finis Libri Primi .

BOTANICORUM.

LIBER II.

NUnc age, quæ Cauli foliorum innexa comantum
Structura accedat, foliis quæ gratia Florum,
Poſthuma commendet fructus quæ gloria Flores,
Aut jam maturis quæ ſemina fructibus inſint;
Quorſum Capreolos, atque auxiliaria multis
Tela, vepres, hirtoſque pilos, Cirroſque tenaces
Frugibus addiderit rerum fæcunda Creatrix;
Exequar. Has etiam medicas mecum inſpice partes
Dexter io! Ambroſide, & tenui adblandire Camœnæ.
Ipſas noſſe juvet venas, penitaſque latebras,
Pubeſcens redit unde Salus Mortalibus ægris;
Miraturque ferox Lacheſis ferrumque retundi,
Et nova jam vacuis ſuccreſcere vellera fuſis.
Tuque adeò, ſua cui referunt genitalia fruges,
Semina, frondenteſque comas, florumque ſalubres
Illecebras, cui Naturæ ſubjecta poteſtas,
Formæque, & numeri, & cauſarum mutuus ordo,
Hùc ades, æquævi exemplum Genitoris, & ingens
Exemplar rerum, veri Sapientia Præſes.
Tu Vatem, tu, Diva, doce, quibus inſita ſerpat
Ductibus & foliis, & floribus abdita virtus:
Quâ ſibi maturos fœtus, quâ ſemina Caules
Arte parent, optatam aliis paritura Salutem.
Non mihi ſpernendus labor hic continget, & ipſam
Gloria Te rerum artificem non parva ſequetur.
Non minus hinc Te nempè vel uno in flore licebit,
Aut tenui in folio, parvoque in ſemine magnam
Mirari, & cœlo raptas attollere mentes.

Fulgentes aſtrorum orbes, & Cardinis axes
Stelliferi, curſuſque, æternaque fœdera rerum
Excutiant alii, perque alto errantia cœlo
Signa Tuæ monſtrent vigilis veſtigia dextræ:
Divinæ ſatis una mihi facit agnita mentis
Vel folii textura fidem, dextræque potentis
Prodit opes, artemque, & Numinis argumentum:
His patet in minimis auctor Deus. Ergo age frugum
Hos quoque Pæonios ſcrutando evolvere textus
Ne pigeat, juſtamque oculis impendere curam.
Spectatum invitat patulis quæ ludicra ramis
Argnto illudens adſibilat aura ſuſurro.
Aſsultat latè pubes herboſa coruſcis
Frondibus, & frondes adnatis floribus ornat,
Promiſsoſque diù ſubdit, ſua pignora, fructus.
  Jamque (1) ſuas, pretium foliis, & floribus arbos
Queis faciat, gemmas Ramis turgentibus offert.
Has ſcrutare, ſatus foliorum ediſcere, & ortus
Si quis amor, florumque: (2) Virent & in arbore gemmæ,
Fæcundumque ferunt uterum, partuque renident.
Nempè ſub his fœtus, provecta æſtate novellos,
Aut tandem Autumno, felix quos concipit arbos,
Arbos, ſive Frutex, latitant, tectoque recepti
Tranſmittunt atras Brumæ intractabilis iras.
Donec Vere novo, cœlo clementior annus
Cum redit, erumpunt: prodit novus inde tenellus
Surculus, & longos plantæ ſolatur amores.
Scilicet evadit primo quod Vere quotannis
Fronde nova exultans, Zephyroſque laceſsit ovantes,
Haud tum concipitur germen; lenta otia dudum
Diſsimulans latuit, gemmarumque abdita clauſtris
Implicuit folia, & florum primordia duxit,
Squamoſo obvolvens tegumento, aptiſque ſecundis.
Extrahit uſque adeò patiens Natura laboris
Lenta puerperia, & paulatim ad grandia turget.

Nec

1 *Subjicitur Gemmarum obſervatio. & Anatome.*

2 *Gemmæ igitur ſunt Arborum, ac Fruticum fœtus novelli, qui quotannis æſtate, ut Autumno pariuntur, ſquamoſis tegumentis, veluti ſecundis obvoluti; quique per totam hyemem latitantes vere tandem novo in ſurculos explicari incipiunt.*

Nec (1) magnus labor eſt illas deprendere viſu .
Cum primum tenero rumpuntur Cortice, furtim
Axillam foliorum intrà tener ipſe cubantes
Surculus oſtendet , ſeſe Junonius urget
Cum menſis , rutiloque calet jam Carcinus aſtro.
Naturæ (2) ſic lege ratum : quos ipſa quotannis ,
Spem generis , teneros ſubmittit idonea ramos ,
Fæcundos jubet ire : novas exiſtere partes
Hinc videas , genitalis ineſt quibus inſita Virtus ,
Organaque , in ſobolem queis Stirps ſe rite propaget .
Inde (3) recens Uterus : neque enim ſemel editus, idem
Perpetuò viget , & ramum fæcundat olentem :
Qualem ſparſa ferunt totis Animalia terris .
Quiſque ſuum , primo in lucem quo truditur anno ,
Fert uterum Ramus , genitaliaque organa claudit ;
Enixuſque brevi ſterileſcit , & ubere Matrem
Dediſcens , reliquum viget infæcundus in ævum .
Haud (4) verò Arboribus tantum, Fruticumque minori
Gemmarum luxus populo contingit : & ipſis
Reſtibilis venit Herbarum Radicibus , annum
Vulnerat averſum caudâ cum Scorpius , & cum
Frondentem ſylvis Aquilo deturbat honorem .
Gemmarum (5) ignotum hoc, ſi vera eſt fama, Napæas
Edocuit Mater pretium Berecynthia primùm ,
Fæcundoſque ſinus, obſtruſaſque edidit artes .
Feſta dies aderat , ſibi quâ celebranda quotannis
Sacra Deûm Genitrix indixerat . Undique Nymphæ
Convenere , nigris Idæ quæque ardua ſylvis
Culmina, quæque lacus patrios, quæque alta profundi

Stagna

1 *Hæ , auctore Malpighio , in noſtris hiſce Regionibus circa Junium menſem è tenello ſurculo erumpunt intrà folij axillam cubantes.*

2 *Singulis enim annis è tenellis quibuſque Ramulis nova emergunt partes , à quibus excoquitur, & derivatur ſeminum materia , tanquam è ſpermaticis organis .*

3 *Hinc non idem uterus in plantis perpetuò viget, ut in Animalibus ; ſed quiſque Ramus eo , quo in lucem prodit, anno, proprijs gaudet ſpermaticis organis , ac brevi uſu fæcundus, vitæ reliquum infæcundum tranſigit .*

4 *Nec ſurculi tantum arborum , aut fruticum , ſed & Radices Herbarum reſtibiles gemmas quotannis Autumno pariunt .*

5 *Undenam plantarum gemmis non ſatis antea exploratis lux, & pretium acceſſerit , fabulâ illuſtratur .*

Stagna colunt, campis & quæ ſpatiantur apricis.
Adfuit ante alias ramo caput obſita Phyllis,
Phyllis Hamadryadum pulcherrima: jamque ferent.
Seſe alias inter mediam affulſere profectæ
Orbe alio, atque alio dites à Sole ſorores,
Et Clio, & Beroë, Nymphæ Gangetides ambæ,
Ambæ auro, ſpoliis nitidæ rubri æquoris ambæ.
Namque ſuas ollis Matuta indulſerat omnes
Gangis opes; cultu nec gemma acceſſerat uno
Aut collo decus, aut digitis. It plurima circum,
Perque ſinus, perque ora ſuos fert prodiga cenſus.
Gemma comas ſtringit, committit fibula veſtes
Gemmea, Memnonios diſtinguit gemma cothurnos.
  Ut primùm fulſit lux indica, Phyllidis ægros
Perſtrinxitque oculos, facibuſque excivit iniquis
Invidiam: gemmante flagrans magis æmulus ignis
Gliſcit ab igne. Sui miſeram pudet, & rubor ipſum
Exuperat, trahit obnuptâ quem fronte, virorem.
Quid faciat? Turbæ ſtimulis agitata malignis
Ereptam nemori properè ſe ſe abdit opaco,
Et luctum lacrymis nequicquam irrorat amaris.
  Non tulit indignos Nymphæ Berecynthia fletus;
Ignaramque ſuæ cenſu mage divite ſortis
Incuſans, dictis animum ſic erigit æquis:
  Te-ne adeò ſterilis gemmæ Garamantidis ægram
Diſcruciet nitor, & ſtimulos ſub pectore verſet?
Nec nova gemmarum quæ Te fæcundior ornet
Pompa, vides? Meliore vires ah neſcia cultu
Ditior, atque opibus vincis potioribus Indum.
Ne jactet ſeſe ille: Irâ quas divite gemmas
Deſpuit is, lucis ſunt infæcunda maritæ
Munera: prolifaris circumfluis arbitra gemmis
Ipſa, novâque aperis fœtos virtute ſmaragdos.
  Sic ait; (1) & tenerum, Phyllis quo prædita, ramum
Arripiens, oculis prætendit, & inde virentum
Gemmarum ignotum reſerat decus. (2) Aſpice, ſubdit,
Quæ viridi hinc paſſim turget de Cortice gemma,
Proh quantum gerit illa uterum! Subiturus in auras
Surculus hic latitat, foliorum hinc prima trahuntur

Apta

1 *Berecynthia uerbis reliqua Gemmarum Anatome expeditur.*
2 *Gemma igitur, cum ſit veluti ſurculi compedium, iiſdem integratur partibus, quibus & Rami componuntur.*

Apta rudimenta, & meditatæ inſignia formæ:
Proinde quibus Ramus coaleſcit partibus, iiſdem
Conſtat & illa: (1) ſuo veſtitum cortice lignum
Deprendas licet in medio, quod lignea circum
Fibra, ſuis turgens bullis Fibra mollibus ambit.
Sæpè pilis etiam ceù lacte albentibus horret.
Squamatim (2) hinc illinc quas tractim erumpere cernis
Inde leves alas, foliis veſtigia ſignant.
Horum quæ gemmæ exterius ſunt nata tegendæ,
Fluxa vel intereunt anno labente, figuram
Vel ſubeunt aliam, & mores cum tempore mutant.
Nec (3) tantùm obtectis tuta hinc cuſtodia circum
Accedit foliis, ſed qui deductus in illa,
Inque ſinum gemmæ ſuccus pervadit, avitis
Illorum utriculis hyberno tempore ſenſim
Excoquitur, longâque morâ miteſcere diſcit:
Proliferâ donec pollens virtute faventis
Aëris auxilio lentâ ſeſe arte carinam
In gemmæ revehat, teneri primordia rami,
Atque ità vim foliis jam ſuccreſcentibus addat.
An Tibi quâ folia hæc vireant gemmantia formâ
Subjiciam? (4) medio excurrens haud corpore nervus
Tenditur hic, foliis qualis contingit adultis;
At plures in faſciculos collecta ſub auras
Turmatim aſſurgunt, appenſiſque undique ſeptam
Vtriculis certo ſtatuunt ſibi limite metam,

F Et

1 *Quod enim in medio viget, tenellum eſt lignum, ſuo cortice circumdatum, fibris ligneis, utriculiſque, ut ajunt, medullaribus contextum, & ſæpiſſimè candidis obſitum pilis.*

2 *Ex eo hinc illinc folia erumpunt ſquamatim locata, quorum exteriora, quæ protegendæ gemmæ inſerviunt, vel temporanea ſunt, & caduca, vel in alienam abeunt formam, ut multis oſtendit Malpighius.*

3 *Hæc ipſa, ut idem philoſophatur auctor, non tantum interioribus, & concluſis foliis cuſtodia ſunt, verum etiam in eorum utriculis ſuccus excoquitur, & longâ illâ per hyemem morâ digeritur, donec exaltatus ſpermatico illo ſpiritu ope ambientis aëris in gemmæ carinam, ſurculum ſcilicet tenellum, revehatur, & ulteriorem foliorum excitet vegetationem.*

4 *Rurſum hujuſmodi gemmarum folia non ſuum nervulum ad inſtar foliorum ſtabilium per medium productum obtinent; ſed multiplices faſciculi ſunt, qui è baſi aſſurgentes in proprios appenſos utriculos deſinūt.*

Et nunc (1) illa quidem putri tandem arida ſqualent
Victa ſitu, ſtabilique locum jam deflua nato
Concedunt folio: gracili nunc ſubdita ductu
Pedioli in formam ſenſim tenuata recedunt.
Sæpe (2) etiam quæ juncta baſim folia extima gemmæ
Subſternunt, ſpecie, prodit quæ prima, mitellæ
Amiſsâ, atque alias, aliaſque ex ordine rerum
Paſſa vices, ſtabilis folii ſe denique certam
In faciem vertunt, ramique in jura vireſcunt.
Quid (3) referam quantâ Ramo manſura vigenti
Arte paret folia, atque operi ſolertior inſtet
Omniparens Natura, cavis molita latebris?
Linea ſe primò reſupinam imitata carinam
Prodit: eam furtim ſuffuſo humore tumentem
Appenſæ de more ſecant utrinque fibellæ.
Vndè etiam fortaſſe ſuis membranula pendet
Differta utriculis tranſverſim in munus ituris.
Non ſecus ac primâ referunt Animalia formâ.
Hos ubi diſtendunt deducta alimenta, pateſcit
Tum folium, ſuccoque illis turgentibus, iſthuc
Expandit ſeſe, & ſpatii confinia laxat.
Quo (4) concepta ſitu gemmæ iſta coërcita clauſtro
Claudantur folia, ulterior ſpectare voluptas?
Haud facile eſt vulgare: ſibi ſic apta cohærent
Contracta in nodum, concordique adſita nexu,
Complexa ut ſeſe ſerventque, tegantque viciſſim,

Et

1 *Contabeſcunt poſtremo foliola hæc, & tandem concidunt, exhauſto jam concocto humore; vel gracileſcendo in pedioli formam abſumuntur.*

2 *Non autem ſibi perpetuò conſtat hæc Naturæ Methodus; ſed ſæpè quæ gemmarum baſim præcipuè componunt, acutâ in mitra ſpeciem amiſſa figurâ, aliaſque paſſa vices, in ſtabilia tandem evadunt folia, quibus ſurculus condecoratur.*

3 *Naturæ pariter Ratio in producendis ſtabilibus folijs mirabilis eſt. Principio ſiquidem nervulus carinæ inſtar humore turgidus unà cum appenſis fibellis prodit, è quibus utriculorum tranſverſalium membranula pendent, ut in primæva Animalium delineatione obſervatur. Patere autem deinde occipiunt, deducto novo alimento, quia complicata ſacculorum moles ſubeunte ſucco turget, & ità folio latitudinem, & laxitatem conciliat.*

4 *Foliorum etiam ſtabilium ſitus intra gemmæ clauſtrum mirabilis eſt; ità enim ipſorum partes contorquentur, & complicantur, ut ſibi mutuò innexa tutò cuſtodiantur, & minus ſpatii occupent.*

Et ſpatio exiguo mirere lateſcere ſylvam.
Vt quondam, digito quam prætendebat ovanti,
Vocalem fertur ſignantem tempora molem
Carolus Auſtriades gemmâ clauſiſſe ſub unâ,
Ipſum etiam captivum adigens ad vincula Tempus.
Tot volucres orbes, tot libramenta rotarum
Annulus anguſto verſabat dædalus auro;
Æternùm Domino manſuri temporis index:
Haud aliter gemmæ parvo viridantis in orbe
Implexas foliorum alas, nexuſque licebit
Inſpectare, ſatumque novi deprendere rami.
Accipe (1) vel Lapathi (2), Biſtortæ (3) aut accipe gemmam,
Deinde ſinus ſcrutare: levi concluſa patebunt
Singula membranæ velo folia arcta, retortis
Partibus in tergum geminis, majuſque minori,
Quà nervus latè excurrit, facere inde videbis
Præſidiumque, locumque: pari ſic fœdere cuncta
Obvolvi, gravidæque pati faſtidia gemmæ.
Pubentum (4) quanquam foliorum ſæpè figurâ
Pro variâ & varius ſitus eſt, rerumque novatrix
Cuique ſuas aptè Natura accommodat artes.
At foliis (5) non gemma unis tumet omnis, & unos
Frondentes tantum ramos enititur: ipſo
Sunt quæ concepto florum ſe pignore ditant;
Atque arvum genitale ſatu meliore coronant.
Quas primo ſub Vere magis turgeſcere cernes,
Floriparæ Tibi ſint; nam quæ florente tumeſcunt
Pignore Frondiferis molis diſcrimine præſtant.

F 2 Sci-

1 *Sic exempli causa ſi Lapathi, aut Biſtortæ gemmam evolvas, ſingula folia membranaceo, tenuique ſacculo involuta comperies; ac geminas ſuperioris folij partes convolutas minori folio ſuprà excurrentem nervulum locum facere; & ſic de reliquis folijs uſque ad minima decurrendo.*

2 *Aliter Rumex appellatur, Noſtrat.* Lampazzo. *Hetruſc.* Romice. 3 *Ital.* Biſtorta.

4 *Alijs etiam modis tenella folia intrà gemmæ anguſtias coguntur, & complicantur, pro uniuſcujuſque figurâ, & compoſitione, ut expendit Grevius lib. de Anat. Plant. c. 4. & l. 4. de Anat. Fol. c. 1.*

5 *Porrò Gemmarum duo ſunt genera. Altera fo ia tantum in ſe continent, & in ſurculos folioſos explicantur. Altera floribus etiam tument, quæ facilè à prioribus Veris initio magnitudine ſuâ diſcernuntur.*

Scilicet (1) ipſi etiam verno qui ſidere flores
Erumpunt, plures jamdudum ex ordine Lunas
Tranſmiſere, ſuis jam partibus undique lento
Informati utero, longoſque tulere labores.
Sic Thymelæa (2) novos Jani ſub menſe bifrontis
Quos aperit flores, formatos ante nitentis
Signa ſub Erigones fas eſt deprendere; gemmam
Nam tùm ſi reſeces, parvi petala omnia floris,
Eductoſque apices, & conceptacula clauſi
Seminis aſpicies, rude, ſed mirabile ſummæ
Artis opus, tenui meditantis grandia niſu.
  Quid majus ſpectata minor Lunaria ſubdet;
Nam (3) toto gravis ante anno veſtigia partus
Suſtinet, & fœtum paulatim extundit olentem.
Ipſa Tibi prægnans referet ſigna obvia Radix:
Nimirum hanc ſupra, caulis quà tollitur, (4) Ari
Ceù florem exiguum, tenuem turgeſcere cernes
Folliculum, quem ſi reſeces, penituſque reſectum
Perſcrutere, ipſum molli ſub tegmine germen
Diſcretum totis jam partibus, inque volutum
Aſpicies, & ferre uterum mirabere plantam.
  Hoc tu fœcundo gemmarum munere ſpreto
Auroræ invideas donis, ſterilemque præoptes
Lucis io! pompam, & luxu capiaris inani?
Ah tua ſplendidior tandem bona noſce, tuique
Conſcia plaudentem donis potioribus effer.
  His dictis erecta animo, nec jam amplius ulli
Invidet, aut ullo tabeſcit fulgure Phyllis.
Quin gemmis jam læta ſuis ſeſe obvia gaudet
Ferre

1 *Flores quippe omnes, obſervante Grevio, non ſecus ac ſurculi, ſuis omnibus informantur partibus, tribus, aut quatuor menſibus, & interdum dimidio anno, & amplius, antequam in lucem, & conſpectum prodeunt.*

2 *Sic ex. gr. flos Mezerei, ſeù Thymelaæ Ital.* Timelea, *qui Ianuario menſe interdum aperitur, circà medium Auguſtum Anni præcedentis integre formabatur; tunc enim ſi gemmam cautè diſſeces, floris petala, eiuſdemq; apices, ſeminis conceptaculum cingentes non obſcuris indicijs deprehendes.*

3 *Quid fortaſſe inſignius in Lunaria minori, Ital.* Lunaria Minore *obſervavit peritiſsimus noſter Fabius Columna; nam in huiuſce plantæ pediolo ſuprà Radicem folliculum quendam deprehendit, tanquam Arì florem exiguum, in eoque plantulam ipſam ſuis omnibus abſolutam partibus, & complicatam deliteſcentem.*

4 *Ital.* Aro, *Hetruſc.* Giaro, Gichero, ò piè vitellino,

Ferre palam rurſum, & meliori effulgere cultu.
Sic gemmis, foliis unde eſt, & floribus ortus,
Auctus honor, Sacros luſtrare, Botanice, partus
Intereà Tibi, Pæonios & diſcere mores,
Ne grave ſit. Multum fluxo hoc de munere fluxæ
Præſidium vitæ, & rebus tutela caducis.
Inde (1) ſati in primis folii pradiſcerè partes,
Ingeniumque, habitumque, & non imitabile textum
Juverit, eductamque oculis evolvere gazam.
Scilicet & folio vis eſt ſua, formaque cultu
Non uno, & medicas non ultimus uſus in artes.
Quæ (2) Cauli, par ipſi etiam textura: cavatas
E ligno hic etiam fas quippe agnoſcere fibras,
Inſinuat ſeſe queis lymphæ-ductibus humor,
Tracheaſque, ſuiſque fibratum Rete refertum
Vtriculis, necnon patrio turgentia ſucco
Vaſcula, & obductam protentâ Epidermide veſtem.
Emicat (3) è Rami ligno interiore micantis
Pediolus primùm, lignoſis undique fibris,
Tracheiſque cavis, Vaſiſque inſtructus avitis
Permixtè, faſcemque coit compactus in unum.
Mox ubi (4) ſubnexum in folium ſeſe explicat, alter
Ceù caudex, iterum in ramos diducitur: & nunc
Nervuli in effigiem procurrens longius illos
Hinc ſubmittit, & hinc: Subdit nunc protinus, & ſe
Conſpicuos ſecat in nervos, frondemque pererrat;
Quale Hederæ folium, Lenæum inſigne, vireſcit.

Hinc

---

1 *Foliorum obſervatio attexitur, & Anatome.*

2 *Folium iiſdem, quibus Caulis, partibus integratur, nimirum fibris ligneis, quæ limpha-ductus ſunt, Tracheis, utriculis fibrarum reticulariter contextarum ſpatia replentibus, Vaſis ſpecificum ſuccum deferentibus, & Cuticulâ.*

3 *Principiò pediolus erumpit; fiſtulis ligneis una cum Tracheis, & vaſis peculiaribus è tenelli ſurculi profundiore ligno derivatis, & in faſciculum collectis coagmentatus.*

4 *Hic idem deinde, tanquam peculiaris caudex, in ramulos alios ſcinditur, & frequentius quidem ſub nervuli ſpecie in longum excurrens hinc illinc illos ſubdit. Aliquando verò ſtatim ac folii latitudinem attingit, ſcinditur in minores ramos, ut in Hedera foliis, aliiſque apparet.*

Hinc folii (1) in latum creſcentis plurima partem
Linea præcipuam, nervorumque obvius ordo
Occupat, & vario peragit ſubtegmine textum:
Nam quæ lignoſæ exiguo de caudice fibræ
Exiſtunt, hùc parva arbos velut altera, & illùc
Diſcedunt, ſignantque novis divortia ramis:
Vlterius qui deindè ſatu leviore minores
Progenerant, & latis abeunt erroribus illi
In diverſa, ſibique iterum per mutua nexi
Reticulatum ineunt, telæ ceù licia, textum.
Quale patet, defluxit ubi levis utraque frondis
Cuticula, aversâ folii vel Salvia parte
Quale refert jam caule virens, oculiſque recludit
Pervia. (2) Quæ maculis interjacet area crebris,
Vtriculis facit apta locum, quos linea longam
Protrahit in ſeriem. Patulis hinc frondibus omnis
Craſsities: illos ſucci pro more latentis,
Compreſſu & vario non uno errore vagantes
Exteriùs videas, variaſque obtendere formas.
Sæpè (3) etiam hos inter, fibratum & Rete ſubinde
Folliculi quidam latitant, qui ſubter hiantes
Expirant tenues humenti è pectore rores.
Et ſuus (4) eſt propriis vaſis locus inter amicos
Vtriculos, fibraſque ambas, quæ ritè parato
Tenduntur ſucco, generiſque inſignia ſervant.

Ipſe

1 *Pediolo appenditur folium dilatatum, cujus præcipuam partem nervi occupant vario ritu producti. Fibræ etenim ligneæ è pediolo excedentes, velut minima quædam arbor, hùc illùc diſperguntur, & ſolvuntur in ramulos, & hi rurſùm in tenuiores ſurculos, qui ſibi mutuò occurrentes in reticulares plexus contexuntur, ut in pleriſque foliis, conſumptâ utràque cuticulâ, oculorum judicio deprehenditur, & in Salviæ foliis adhuc virentibus aversâ præſertim parte.*

2 *Reticularium plexuum maculas utriculorum ſeries è nervulis emanantes, & quaſi ab ipſis pendentes replent, unde foliorum craſsities exiſtit. Ipſi autem ex contenti ſucci naturâ, & mutuâ compreſſione, aut laxitate varias ſubeunt figuras.*

3 *Inter utriculos, & fibratum Rete in pleriſque foliis, ut obſervavit Malpighius, peculiares folliculi, ſeù loculi diſperguntur, qui patenti hiatu foras vel halitum, vel humorem fundunt.*

4 *Peculiaria etiam in cujuſque folii textu miſceri vaſa, quæ concoctum, ac proprium plantæ ſuccum contineant, humoris ipſius è foliis erumpentis experientia liquet, qui colore, & craſſitie facilè ſe prodit.*

Ipſe (1) Tibi color, ipſe Tibi ſæpè obvia ſucci
Signa dabit lentor. Tithymali (2) è fronde reſecti
Lacti: nonne vides ut concolor emicet humor,
Fronde Chelidonii (3) ſubluteus? æqua poteſtas
Frondibus eſt aliis, patrius ſine ſtemmate ſuccus
Sit licet his, nullâque notâ diſcretus oberret.
Has (4) omnes, folium conſtat queis Textile, partes
Obvoluit tenui protenta Epidermis amictu,
Cuſtoditque, fovetque, refert atque inde colorem.
Extremum aſt unguem ſinuoſo craſſior ambit
Zona ſinu, & certo deſcribit margine fines.
Hic folii textus: ſed non & (5) forma videri
Grata minus: juvat ipſa decus diſcordia, & ipſas
Duplicat illecebras varii diſcrimine cultus.
Quos non Mæandros, quæ non hic ducta figuris
Diſſidia, artifices quos non mirabere luſus?
Haud ità multiplici variant babylonia tractu
Texta nurus, filis cum fila, atque orbibus orbes
Diſpenſant digitis, radiiſque ſonantibus errant;
Vt gratùm diſcors folii textura renidet
Natura variante, modis & ludit apricis.
Ah valeant quæcunque Phrygum portenta ſagaci
Ars mentitur acu, pictas ver textile ſolers
Inducere in telas, & jam ſua munera ſylvas.
Vna meos, foliis errat quæ blanda, moretur
Forma oculos; hæc una trahat dulcedine ſenſus.
Hic varios habitus, caules queis alma comantes
Omniparens veſtit, villoſque; & dædala miret
Velamenta, manus & non ſuperabilis artes.
Aſpice, ut hic folium nervo deducat ab uno

Haud

1 *E ſectis ſiquidem Tithymali foliis, Cicherei, & ſimilium làc emergit: è Chelidonio humor ſubluteus. In reliquis, quia limpidus, aut aqueſus humor eſt, nullam ſui exhibet notam, adeſſe tamen Analogia evincit.*

2 *Ital.* Titimalo; ò Titimaglio, ò Tutumaglio. 3 *Ital.* Celidonia.

4 *Has omnes partes, quibus folia coagmentantur, levis ſuperextenſa Cuticicula, ſeù epidermis obducit, quæ ſubiectorum colorem refert, ipſaque contenta convestit, & cuſtodit. Extremus verò foliorum unguis, ſeù margo, quaſi Zonâ, ſeù Craſsiore lineâ circumdatur.*

5 *Foliorum differentiæ, quæ plurimùm faciunt ad oculorum illecebram, deſcribuntur.*

Haud (1) unum ! ut caſtâ digitatum in (2) Vitice, longâ
Pennatum in (3) Viciâ, graveolenti in caule (4) Cicutæ,
Angelicâque (5),Apioq;(6),tuo vel (7) Thapſia crine ,
Rutaque(8),Fœniculumq;(9),Ammiq;(10) exile,reſingat
Multifidum ! (11) Simplex illic ſe ſubdere nervo
Det facili , formamque novo ſibi fingere ritu!
Et nunc planum illud ſubigat , protendat in auras
Nunc teretem , longo excurrit ceù fiſtula tractu !
Nec modus hic ; ſua ſunt iterum diſcrimina plano ,
Sunt tereti ſua ; nam (12) tendunt hoc juncea fartum
Gramina (13),dant vacuo Cœpæ (14)procurrere ductus
Aſt (15) illud nunc æquali ſibi margine textus
Claudit , inæquali fallit nunc ductile limbo.
Nam modo frondeſcens ſinuoſo fimbria tractu
Volvitur, illam æquis ſeù plurimus intervallis
Angulus, & conis interdiſtinguat acutis:
Quali ſe cultu folioſa Bryonia (16) jactat;
Ollis ſeù careat, Smilax (17) velut aſpera prodit .
Excurrens eadem modò fimbria ſcinditur, & jam
Segmentis ſcatet oblongis , jam prædita crenis ,
Exertis virides jam dentibus aſperat oras ;
Gratior arridet formâ variante venuſtas ,

Quis

1 *Dividitur igitur folium in Compoſitum , & Simplex. Compoſitum eſt , quod uno pediolo , ſeù nervo, & pluribus lobis, ſeù laciniis conſtat. Quod rurſum eſt vel Digitatū,ut in Vitice.* 2.*Ital.* Agnocaſto.*Hetruſc.etiam* Vetrice; *vel Pennatum, ut in Vicia.* 3.*Ital.* Veccia; *vel multifidum, ut in Cicuta* 4 *Ital.* Cicuta, *Angelicâ.* 5 *Ital.* Angelica. *Apio.* 6 *Ita.* Appio *Hetruſc.* Petroſemolo, ò Prezzemolo, *quod aliter Petroſelinum nuncupatur: quibus lobi, ſeù laciniæ ſunt latiores: in Thapſia* 7 *Ital.* Tapſia *& Ruta.* 8 *Ital.* Ruta; *quibus ſunt anguſtiores: In Fœniculo.* 9 *Ital.* Finocchio , *& Ammi* 10 *In officinis* Ameos, *quibus ſunt omninò capillares .*

11 *Simplex eſt , quod non dividitur in lobos , ſeù lacinias diſiunctas: quod rurſum eſt , vel Planum, vel Teres .*

12 *Teretis alterum genus eſt fartum, ut in Gramine Junceo.* 13 *Ital.* Giunco, Specie di Gramigna . *Concavum alterum, & fiſtuloſum, ut in Cepa Ital.* Cipolla .

15 *Planum verò margine eſt, vel integro, & æquali, vel inæquali; eoque, vel ſinuato, ſeù angulatus ille ſit , ut in Bryonia* 16 *Hetruſc.* Brionia, ò Vitalba: *ſeù ſine angulis , ut in Smilace Aſpera* 17 *Ital.* Specie di Smilace ; *vel ſciſſo, quod iterum vel laciniatum eſt, vel Crenatum , vel Dentatum .*

Quis (1) memoret ſua quæ foliis diſcrimina ſubdit
Ipſa ſuperficies diſcors ſibi ? lævis agreſti
In Lapatho (2) , Betâque (3), hirſuta in (4) Lychnidis herbâ,
Verbaſcoque (5), ſuamque umbrans lanugine pubem ;
Aſpera (6) linguoſis Bugloſſi in frondibus, (7) hirtis
Cuſpidibus,crebriſque rigens Tibi , Cardue , ſpinis.
Quis, (8) quæ fert diſpar ætas, ortuſque, ſituſque?
Quis (9) , quæ dat color? haud ſiquidem ſibi conſtat,& auctis
Par viret in foliis ; at verſicoloribus illa
Sæpè notis variat, maculiſque , ſtriiſque pererrat.
Sæpè etiam in croceum pallet , ſæpè omnis in atrum,
Aut in cæruleum vergit , vel diſcolor arvis
Aut rubet , aut albo illuſus caneſcere gaudet .
Id (10) longo compertum uſu, fixumque, comantes
Herbarum Caules (unam ſi polline demas
Albentem inſperſo Atriplicem (11) , certoſque(12) Amaranthos)
Tum ſtabili tandem ſibi lege vireſcere , frondes
Cum primùm explicuere : comis frondentibus, illos
Inficit extemplo viror , & ſua texta colorat .
Unde autem viror hic paſſim pubentibus herbis
Obveniat, lis eſt . (13) Illum ſibi maxima Juno

G Ven-

1 *Sunt alia etiam foliorum differentia à ſuperficie;illorum enim alia lævia ſunt,ut in Lapatho.* 2 *Ital.* Romice,*& Beta.* 3 *Hetruſc.* Bietola; *alia hirſuta,ſeù lanuginoſa,ut in Lychnide.* 4 *Ital.* Licnide,*& in Verbaſco* 5 *Ital.* Verbaſco , ò Taſſo Barbaſſo .

6 *Alia aſpera,ut in Bugloſſo. Ital.* Bugloſſa,ò lingua di Bue. *Hetruſc.* Borrana,ò lingua buona. 7 *Aculeata demum alia, & Spinoſa,ut in Carduis.Ital.*Cardo .

8 *Sunt rurſum alia differentia reſpectu durationis,ortus,& ſitus.*

9 *Sunt alia demum reſpectu coloris ; non enim in folijs omnibus conſtans eſt viror ; Sed pleraque maculoſa etiam ſunt , & ſtriata ; alia etiam in luteum languentia , obſcurè virentia , ad cæruleum vergentia , rubentia, candida, & incana.*

10. *Id autem compertum, Herbarum ferè omnium , paucis admodum exceptis, Atriplice,* 11 *Ital.* Atriplice.*Hetruſc.* Atrepice, ò Trepice, *& Amarantho.* 12 *Ital.* Amaranto, ò Fior velluto.*Hetruſc.*Sciamito,*folia poſtquam explicantur, Caules etiam colore viridi imbui: Cujus coloris, quæ cauſa ſit, ambigitur .*

13 *Plerique Aëri eum adſcribunt, hac ducti ratione, quod Radices humi latitantes alba plerumque ſint, nunquam certè virides; & folia ipſa, aëre excluſo , ejuſque appulſu prohibito , albeſcant, ut in Braſsicis, & Lactucis capitatiſ videmus ; quarum folia interiora liberi aëris uſura privata colorem album contrahunt.*

Vendicat hinc, omnis paret cui ſubditus aër,
Acceptumque refert liquidis afflatibus æthræ.
Hinc altè Terris plerumque albere latentes
Radices, & quæ longè ſubmovit ab ipſo
Aëris appulſu folia abdita, [1] Braſſica, vel quæ
In caput excreſcens intus [2] Lactuca coërcet.
Inde [3] ſuæ duci de munere lucis, & hauſtu
Herbarum, frugumque potens contendit Apollo.
Perſpicui oſtentans obtectas aggere vitri
Axe ſub Arctoo, tumidoque ſub æquore merſas
Aërio procul afflatu revireſcere plantas.
Nec maris [4] herbiferi Dea nata ſalacibus undis
Alma Venus pro ſe pugnat minus: Illa ſequaci
Admixtis ſucco ſalibus, quo planta fovetur,
Adſcribi certat, qui ducitur ore, virorem.
Quæ [5] ſe cunque probet ratio tibi verior, illud
Sit certum, cœlo frutices, herbaſque virentes
Liberiore frui: cœlo planta omnis aperto
Lætior exultat, tepidaſque aſſurgit in auras.
  Quà [6] tardus plauſtro fulget ſtellante Boötes,
Noctivagamque Helicen cuſtos agit, axe ſub ipſo
Parrhaſio, herboſæ pubis fert fama fuiſſe
Cultorem egregium, quo non præſtantior alter,
Aut ſtirpes alere, aut penitus perquirere mores.
Is plantam teſtâ exceptam de more tenellam,

Vitro

1 *Noſtrat.* Cauolo Cappuccio. 2 *Noſtrat.* Lattuca inconocchiata.

3 *Alij lumini tribuunt, ejuſque actioni; nam externo etiam aëre excluſo plantæ nonnullæ viridem utcumque colorem acquirunt, ac retinent; ut in pluribus cernitur vitreis operculis tegi ſolitis; & in ijs, quæ aquis immerſa vireſcunt, quibus vel nihil, vel parum admodum aëris pervium eſt.*

4 *Nec deſunt, qui ſalinis particulis, quas aër plantæ ſucco communicat, vertendum putent, quæ eam in viridem colorem mutent.*

5 *Quidquid autem de ijs ſit, certiſſimum eſt plantas aërem liberum; & apricum affectare: quod luculentiſſimo experimento oſtendet eruditiſſimus Shatrocus.*

6 *Is plantam tenellam fictili exceptam in feneſtra collocarat, cui una vitri, quo obtecta erat, quadra deerat; eamque deprehendit inclinatam foramen verſus rectà tendentem. Deinde fictili converſo, ita ut Caulis inclinatio à foramine averſa alioſum ſpectaret, pariter reperit reflexo iterum Caule, & in formam literæ C incurvato, ad foramen iterum ſe dirigere.*

Vitro ubi fulgebat præcluſa feneſtra, locarat
Caule ſuo ſtantem: nec longum tempus, & illam
Repperit inflexo Vaſis per ſumma meatu,
Quà vitro viduatum uno ſpeculare patebat,
In Cœlum ſeſe, curvæ propaginis inſtar,
Urgentem, thyrſoque foramen inane ſequentem.
Averſamque aliò rurſum, deprendit eòdem
Flecti iterum, vacuaſque viam affectare ſub auras,
Tantus amor cœli, libertatiſque cupido.
Tam miro fruticis Saturnia riſit amori
Ex alto, plaudenſque unà Junonius ales
Latius explicuit caudæ ſtellantis honores.
 Nec vero (1) aut nullo funguntur munere frondes,
Aut tenui, & luxu nequicquam augentur inani:
Eſt ſuus, eſt ollis uſus: ſua debet inermis
Munimenta ollis ſtirps herbida. Nempè fovetur
His tenerum impoſitis germen, fructuſque coævus,
Sicubi ſuccreſcit fœto cum germine fructus.
Ipſæ (2)etiam viridem firmis jam ſtirpibus umbram
Sufficiunt, nimios frangunt & tegmine Soles;
Ne gravior fœtus æſtu torrente novellos
Cynthius, aut calidis Procyon latratibus urat.
Hinc (3), reor, Autumno livens cum brachia tendit
Scorpius, excuſſis jam fructibus, & ſimul omni
Duratâ jam ſtirpe, nemus latè omne caducæ
Inſternunt proprio perfunctæ munere frondes.
Aſt ubi (4) perpetuo terris Sol incubat æſtu
Torridus, ipſæ etiam, mendax ni fama, vireſcunt
Perpetuò plantis, & fervida tela retundunt.

1 *Porrò quiſnam foliorum uſus ſit à Natura inſtitutus, Caſalpinus ideircò ea plantis data exiſtimat, ut tenerum germen tueantur, aut etiam fructum, ubi fructus erumpit cum germine.*

2 *Poſtquam verò eadem explicata ſunt, germine adultiore, alium uſum præſtare videntur, umbram ſcilicet, ne à Sole plus juſtò torreantur, tum fructus, tum novella germina.*

3 *Hinc pluribus, devexo jam Autumno, decidunt folia, perfectis jam fructibus, & germinibus induratis.*

4 *In Calidioribus autem regionibus, ubi perpetui ferè ſunt æſtus, arborum nullis folia decidunt, utpotè perpetua foliorum opera indigentibus ad umbram faciendam.*

Sunt etiam (1) vernis alium qui frondibus uſum
Attribuunt: illis imâ è Radice regeſtum
Ritè coqui ſuccum, plantiſque alimenta parari.
Succiferâ plantis condi vernantibus aptum
Fronde penu; ſeſe primos quo lactet in ortus
Erumpens Caulis, propior quo gemma tumeſcat,
Parvaque concipiant digeſtas ſemina vires.
At non (2) ſe plantæ ſolos pubentis in uſus
Impendunt folia, & miſeræ ſe in commoda vitæ
Pæoniis ultrò auxiliis impendere norunt.
Haud aliunde feres vitæ præſentius unquam
Præſidiumque, lucrumque: Potens his Salvia (3) nervos
Roborat, his cerebro prodeſt (4) Betonica, cordi
Læta Meliſſa (5), gravem tergit (6) Sena ardua bilem.
His (7) etiam ſummi Gnato Genitoris olivas
Pallentes inter ſecretâ in valle dolenti
Indoluit tellus; nam quo jam morte futurâ
Pallidus ille loco, duro ſub faſce laborum
Procubuit, roſeum volvens è corpore flumen.
Mira fides! plantam perhibent viruiſſe, notatis
Teſtantem heù diræ deſcriptam mortis amaram
Vim memorem foliis, & barbara fata querentem;
Tam mira herboſis fati tela aſpera contra
Inſita vis foliis, ut, quà licet, æqua doloris
Signa ferant, ſortemque notis miſerentur acerbam.

Salve

1 *Alium præterea uſum iis attribuit clariſſimus Malpiphius, ut nimirum alimenti coctioni inſerviant. Nutritii nanque ſucci portio, quæ Radices ſubingreditur, à ligneis fiſtulis in folia exeneratur; ideò neceſſe eſt, ut in ipſorum quaſi tranſverſalibus utriculis moram trahat, & antiquo ſucco commiſceatur, & fermentetur.*

2 *Potiſsimus verò foliorum uſus eſt in artes Medicas, ut exemplis foliorum Salviæ, Betonicæ, Meliſſæ, & Senæ innuitur.*

3 *Ital.* Salvia 4 *Ital.* Bettonica; *aliter Vectonica, à Vectonibus Hiſpaniæ Populis, qui eam invenerunt, nomen ſortita; cujus idcircò antepenultimam producendam ſatius duximus, quia penultima in Vectones à Lucano, cujus multò potior eſt authoritas, producitur. Luc. l. 4. Vectoneſque leves.*

5 *Ital.* Meliſſa. 6. *Ital.* Siena.

7 *Brevis digreſsio in Arborem, ex Hegeſippi fide, eò loci enatam, ubi amantiſsimus noſter Servator in Gethſemani horto Patrem oravit; in cujus foliis inſcripta legebantur hæc verba: O mors, quàm amara eſt memoria tua!*

Salve Arbor dilecta polo, dilecta Tonanti,
Illius irrigui dio ſata ſanguinis imbre,
Culta manu Charitum, teloque inſtantis Amoris
Inſcripta aurifero. Te mobilis aura Favonî
Suſpirat circum, ploratæque adgemit umbræ.
Æternùm ò vireas! præfers mihi funera quamvis,
Vel ſic mœſta places: diæ ſic nempe ſalutis
Jamdudum optatæ prodis veſtigia, pictâ,
Mors quando, quam fronde refers, tulit una Salutem.
  Herbarum & foliis atræ mala ſemina mortis
Frangere adhuc dubites? votis mora degener obſtet
Ne qua tuis, foliis habiles Vis Provida rerum
Addidit & flores. (1) Florum læto omine fretus
Aude animis iterum, & certam ſpe præcipe laurum.
Hoc Syllanæ acies dubitata in prælia quondam
Erectæ auſpicio, palmamque ex hoſte tulere.
Lata ſuis monimentum inſigne Fidentia campis
Servat adhuc, Zephyroſque docet narrare loquaces.
Hic Marii paribus contrà ſigna obvia ſignis
Syllanas Lucullus agens in bella phalanges
Conſtiterat; rauco cum longè adverſa repentè
Æra ſono cecinere, trucem poſcentia Martem.
Hæſit tum numero inferior Dux inclytus, illum
Nec quid agat, ſubit: ancipiti mens fluctuat æſtu.
Armatas conferre manus hinc æmula virtus
Suadet, iners illinc revocat timor. Ambigit armis
Imparibus, dubioque timet decernere Marte.
Dum trepidat, libratque metus, atque omnia verſat;
Ecce Tibi roſeis ſolitò vehementior alis
Allabens Zephyrus vicino è rure revulſos
Vi blandâ in nimbum flores agit, aëriumque
Palantes per inane rotat: volat acta per auras
Florida diluvies, vernantemque errat in imbrem;
Qui tandem illapſus Syllana in caſtra cucurrit
Tela per, & clypeos, & ovantes caſſide frontes,

Im-

1 Fit gradus ad Florum Obſervationem, candidiuſque ab ijs in Morborum victoriam captatur auſpicium, exemplo M. Luculli Syllanarum partium Ducis, qui numero inferior cum Marianis congredi ad Fidentiam cum non auderet, florum auſpicio confirmatus, qui ventorum vi è propinquo campo evulſi in ſuorum Militum arma, & galeas conjecti fuere, ſigna contulit, victoriamque ex hoſte reportavit; ut habet Plutarc. in Sylla.

Implicuitque roſis: pluvium Ver crinibus hæret,
Atque repentinis vernat galea obſita ſertis.
Tùm verò firmati animi: Dux ipſe morantes
Increpat, & trepidas ciet in certamina turmas.
Pergamus, Zephyris quò Fata vocantibus, inquit,
Solicitant, ſparſoque ferunt jam germine palmas.
Cernitis? ipſa moræ impatiens Fortuna coronas
Anticipat, certiſque vocat matura triumphis.
Nec plura effatus, pugnam committit, & hoſtem
Impetit auctor: ovans ſequitur Victoria pugnam.
Ipſe triumphales proſpectans eminùs umbras
Vernantum Capitum trepidat Marianus, & ultrò
Præcipiti dat terga fugæ: fugientibus inſtat
Lucullus, multoſque manu dat ſtragis acervos:
Adverſiſque Aquilis victor, caſtriſque potitus,
Armipotens, tandem magnum Tibi, Flora, trophæum
Erigit, & ſertis ſpargit victricibus aras.
Fauſta adeò Veris formoſi eſt gratia, ſemper
Nec ſterili fallax illudit odore venuſtas.

Ergo (1) age, & halanti florum de munere cæcam
Adverſus Lacheſim vitæ Tibi lætius omen
Concipe, nec facilem dubites committere pugnam.
Ipſa vocat pulchro quæ vis è germine ſpirat
Gratior, argenteamque animam diffundit ad auras.
Haud illos temerè delectis addidit herbis
Alma Parens Natura: oculis formoſa probavit
Heù ſtomachis inviſa ægris medicamina: votis
Hinc gratùm inſidiata, Juventæ Floribus omnes
Blanditias, omnes afflavit Veris honores.

Ipſa (2) manu calycem vigili molita, volenti
Suppoſuit flori, blandum Tibi (3) Thapſia, fulcrum;
Molle Tibi tegumen (4), Ranuncule, quæque per agros
Surgitis erecto fæcunda (5) Papavera collo;
Puniceis ſed utrumque Roſis, Pomiſque, Pyriſque
Atque tuo, quo mœſta vires, (6) Aſtrantia, flori.   Craſ-

1 *Florum igitur per partes inſtituitur obſervatio.*

2 *Prima pars eſt Calyx, qui pars eſt floris poſterior craſsitudine quadam majori à pediculo diſtincta. Ejus munus eſt flores vel ſuſtinere, vel involvere, vel utrumque praſtare. Fulcri munus gerit in Thapſia.* 3 Ital. Tapſia, *& in omnibus penè Umbelliferis: Involucri in Ranunculo* 4 *Ital.* Ranunculo, ò piè corvino, *& Papavere* 5 *Noſtrat.* Papagno. *Hetruſc.* Papavero. *Utrumque vero praſtat in Roſa, Pomo, Pyro, & Aſtrantia.* 6. *Ital.* Specie di Sanicula, ò d'Imperatoria.

Craſſius hinc turgentem oneri ſuccedere juſſit,
Officioque parem, vernaſque exponere gazas.
Nec (1) formam deſpexit: ei quoque ritè vacavit
Dædala; multiplici nam nunc digeſſit in orbem
Pubentem folio, aut, viridi velut imbrice, ſquamis
Suffulſit ſuperimpoſitis, ceù Carduus effert
Quo florem; (2) duci circum nunc ſimplice juſſit
Folliculo, variis ſecto plerunque virenti
Margine ſegmentis. (3) Rurſumque exire rotundum
Hunc dedit, hunc teretem, famâ quo cognite gaudes
Caryophylle (4), illum ſed (5) Othonnæ in flore ſtriatum.
His, aliiſque (6) modis Calycem meditata, decoris
Inſtruxit petalis, omnemque his ſedula fucum,
Omne, fugax quamvis, decus indidit, indidit artes
Et medicas, crebriſque dedit roreſcere bullis
Succiferis, ſpiriſque volens vitalibus auxit.
Addidit (7) his etiam calatho concluſa capaci
Stamina, vernanti florum ſurgentia fundo
Stamina, ſtaminibuſque Croco pallente, vel albo,
Aut atro illuſos apices, quandoque rubentes;
Quale micant, memoras quam, Parkinſone, (8) Triphyllæ

Nec

1 *Forma ſpectatu eſt non injucunda; Nam nunc compoſita eſt; eaque vel foliis pluribus conſtans juxtà ſe poſitis, ut in Eupatorio Cannabino, & Scabioſis; vel ex foliјs, aut ſquamis ſibi invicem arctè, & imbricatim inſidentibus, ut in Carduis.*

2 *Nunc ſimplex eſt, margine plerumque in lacinias ſecto.*

3 *Eademque rurſus in aliјs rotunda eſt, in aliјs teres, ut in Caryophyllo.* 4 *Noſtrat.* Garofalo. *Hetruſc.* Garofano; ò Gherofano; *Striata vero in Othonnæ flore, quæ Tanaceti ſpecies eſt.* 5 *Ital.* Specie di Tanaceto, ò di Fior d'Africa, over di Garofano di Spagna.

6 *Altera Florum pars ſunt Petala, folia nempè illa forma, & colore reliquis partibus præſtantia; ſic primùm à Fab. Columna. nuncupata, ut à foliis propriè dictis diſtinguerentur. Quæ ex Malpighio ſuis coaleſcunt fiſtulis, tracheiſque, omnique vaſorum genere inſtructa pendentibus utriculorum ſeriebus integrantur.*

7 *Tertia pars ſunt ſtamina, tenuia nimirum illa capillamenta, quæ floris medium tenent. His adduntur Apices, qui ſummæ ſunt ſtaminum partes craſſiores. Horum color frequenter Croceus, interdum nigricans, aliàs albeſcens. Obſervatus etiam purpureus, ſed rariùs, ut in Hepatica Trifolia.* 8 *Ital.* Epatica, ò Fegatella di trè frondi, *ſpecie illa, quam deſcribit Parkinſon penes Rajum t.1.p.17.*

Nec (1) Te præteriit, torno quod ductile, floris
Pars nova, Piſtillum, media inter ſtamina turges.
Scilicet hæc inter mirâ ſimul extudit arte
Te quoque; nuncque inſtans operi Te mole rotundum,
Nunc Ovi in faciem cudit, nunc ire Trigonum
Iuſſit, & elato Capitatum aſſurgere cono.
Sæpe (2) rudimentum fructus dedit eſſe, tenellum
Sæpe caput ductâ petalorum inſigne coronâ;
Quale refert umbellifero ſtirps germine, quale
Alba (3) refert Nymphæa: baſis ſæpè inſtar eidem
Supponi, & viridi ſublimem attollere dorſo;
Ut lactens (4) Tithymalus, agrique virentis apricus
Granadilla (5) dolor, nec non & (6) Capparis offert.
Hæc rerum Artifici riſit magis omnibus una
Piſtilli effigies, flores quò tundere diſcas,
Vernanteſque liquare animas, pictoque virentem
Præcipias oculis in germine Pharmacopæam.
Haud(7)tamen hoc contenta, Stylum ſuperaddidit altâ
Cuſpide, vel cono, globulove, aut pluribus ultrò
Cornibus extantem, & ſeſe in ſublime ferentem.
Quin ipſum benè cauta ſtylum differſit hiantem
Utriculiſque, tubiſque, vagus quà ventilet aër
Subſtantem fructum, atque exudet inutilis humor.
Succo etiam oblevit, quo ſurreptantia furtim
Arceat inſecta, & fœtum tutetur inermem.

Uſque

---

1 *Quarta pars piſtillum eſt; ſic eam Turnefort. t. 1. p. 70. appellat, quæ floris centrum inter ſtamina occupare ſolet. Illud autem multiforme eſt, vel Sphæricum ſcilicet, vel Ovatum, vel Triangulum, vel Capitatum; Fuſi, aut Piſtilli, quo utimur ad tundendum, formam habens; unde & nomen.*

2 *Piſtillum ſæpè nihil aliud eſt, quam tenerrimus fructus. In* Umbelliferis *verò fructus caput potius videtur, circum quod petala diſponuntur, quam etiam ſpeciem præ ſe fert in Nymphæa alba* 3. *Ital.* Nenufar à fior bianco. *At in Tithymalo* 4 *Ital.* Titimalo, o Titimaglio, *Granadilla*. 5 Granadiglia, ò fior di Paſſione, *Cappari*. 6 *Noſtrat.* Chiapparo. *Hetruſc.* Cappero, *pediculi inſtar naſcentem ſuſtinet fructum.*

7 *Piſtillo Stylus adjungitur, vel cuſpide, vel cono, vel globulo, vel cornibus terminatus: meatibus etiam, veſicis, ac tubis admodum exiguis obſitus, quà alimenti pars ineptior egeratur. Multiſciſſus inſuper eſt, quò faciliùs aër ad ſemina ducatur, & ea perficiat; lentoque ſucco obducitur, quò minima inſecta ab his arceantur; ut monet Malpighius,*

Digitized by Google

Uſque adeò temerè nihil, & ſine numine, Rerum
Molitur Genitrix, ſemenque educere tanti eſt.
Nimirum (1) idcircò Florum virtute parentes
Donavit plantas; formari hinc fœtus, & idem
Nutriri ut poſſet: Fœtus ſunt Viſcera Flores.
Excoctum hinc teneros alimentum in ſeminis artus
Purius, (2) excretâ per concava ſtamina fæce,
Ducitur, & labris lac immulgetur amicis.
Præcipuè Zephyris cum jam fœcunda maritis
Incipit è Calycum patulo orbe dehiſcere Chloris,
Ludenteſque ſuis perfundit odoribus auras.
Ne mihi tum florum petala alma procacior Eurus
Decutiat, dum lactis eget, dum pabula poſcit
Prima recens fœtus: Jejuni duriter ipſis
Cum petalis fructus heu! ſpes intercidet omnis,
Votaque folliculo fœtura eludet inani.
Quanquam (3) non ſemper vernis hic floribus uſus;
Nam neque ſeù fructus ſemper, ſeù ſeminis alvum
Obſedere: Sui ſunt qui vix parte cohærent
Fructibus, ut Peponum gens turgida prodit; [4] ab illis
Sunt qui ſejunctum ſua per divortia rami
Optavere locum, & propiùs ſervire recuſant:
Ut flos, quo (5) Ricinus, Jobi quo(6)lacryma ridet,
Indorumque(7)Mays, vittiſque inſigne coruſcis

H Spar-

1 *Colligitur hinc Flores in hunc uſum plantis additos à Natura, ut nimirum in ijs alimentum multiplici circuitu ad primam ovi formationem, vel amplificationem aptius evadat. Hinc à Turnefort. dicuntur quadam veluti fructus viſcera. Ille ſiquidem alimento ſincero indiget, cuius primum impetum ferre non poſſet, niſi prius illud ab ineptis partibus in Flore purgaretur.*

2 *Hæ verò à ſtaminibus, tanquam à vaſis excretorijs excepta deponuntur in apices, velut in cloacas. Floris igitur proprium munus eſt nutricandi tenerum fructum, ſub ipſam ejuſdem formationem; lactis enim is tunc ut cum maximè indiget; periclitaturque, ſi flores riſecentur, quo tempore geſtiunt expandi: Nequaquam verò, cum jam explicati fuerint.*

3 *Haud verò floribus ad unum omnibus is conſtat uſus; non enim omnes tenero inhærent fructui. Sunt, qui in eadem planta cum fructu partim junguntur, partim ab eo ſeparantur; ut in Cucurbitaceis obſervare licet.*

4 *Sunt, qui in eadem planta nunquam conjunguntur cum fructibus, ut in Ricino* 5. *Ital.* Catapuzia Maggiore, *Jobi lacryma.* 6 *Ital.* Lagrima di Giobbe, *quæ aliter Lithoſpermum arundinaceum appellatur; & alijs præſertim Amentaceis.* 7. *Ital.* Grano d'India.

Sparganium (1), & compar gens Amentacea vernat.
Aſt alii totis (2) diſcreti ſtirpibus, omnis
Expertem fructus nullo ſibi fœdere plantam
Aſſeruere, novique ferunt diſcrimina ſexus.
Nam ſæpè aſpicias uno de ſemine cretas
Congeneres plantas, quarum ferat altera flores
Luxurians, fructus expers; ferat altera fructus,
Immunis florum: Mas illa, hæc Fœmina habetur.
Tales arboreâ geminæ de gente vireſcunt
Et (3) Palmæ, & (4) Salices; tales de ſtirpe creantur
Herboſa (5) Urticæ, (6) Lupulique, & mobile germen
Cannabis (7), & (8) Phyllon cum ſylvicolâ (9) Cynocrambe.
Haud vacui tamen, aut ullo ſine munere flores
Hi (10) ſubeunt ipſi, & luxu ſibi divite vernant.
Munia ſejunctis ſua ſunt: alimenta miniſtrat,
Qui flos adnaſcens fœturæ acclinis adhæret:
Longius (11) at diſtans, renum vice, purgat ineptis
Partibus hinc ſenſim mittendum in ſemina ſuccum.
Nec (12) ſua vis aliis, gignendo à ſemine totis
Qui diſtant plantis, deeſt floribus. Inſita florum
Staminibus ſummo turget quæ capſula cono,
Fœmineæ turget plantæ fœcunda; tumeſcit

Nam

---

1 *Ital.* Sparganio, *cujus folia faſciolas imitantur, quibus olim Nutrices pro faſcijs uſa.*

2 *Sunt denique, qui in eadem ſpecie ſexus diverſitatem efficiunt; ſæpè enim altera Plantarum congenerum Flores dumtaxat, altera fructus dumtaxat edit: atque illa Mas, hac fœmina habetur: ut in memoratis contingit.* 3. *Ital.* Palme. 4 Salici, ò Salci. 5 Ortiche 6 Lupuli. 7 *Noſtrat.* Cannavo. *Hetruſc.* Canapa, ò Garzuolo. 8 Specie di Semprevivo Montano. 9 Mercorella Selvaggia.

10 *Jamverò floribus, qui in eadem planta fructibus partim adhærent, partim ab illis ſeparantur, uſus idem, ac ſuperioribus: fructui nempè excoctum alimentum ſubminiſtrant.*

11 *Qui nunquam conjunguntur cum fructibus, Renum, ut ità dicam, munere funguntur, alimentum à partibus minus idoneis purgantes.*

12 *Qui verò totis diſtant plantis, eo polline, ſeù globulis, quibus ſtaminum apices turgent, quoſque per maturitatem effundunt, tanquam maſculino quodam ſpermate Fœminea planta ſeminibus fœcundandis inſerviunt, ut auctor eſt Grew. apud Rajum t. 1. p. 17. & Proſper Alp. lib. de Plant. Ægypt. Atque hinc eſt, ut Fœminea planta fructus ad maturitatem minime perducant, niſi Mas planta propè conſita fuerit.*

Nam prægnans illa occluſo quo polline, ventis,
Sive manu latè aſperſo, pigra ſemina plantæ
Fœcundat ſociæ, verno ceû ſpermate, & illam
Promovet, & fœtu matureſcente coronat.
Hinc benè formatos, miteſque educere fructus
Fœmina ſæpè negat, ni mas propè jungat amores
Conſitus, & ſparſo torpentem polline cogat.
Id(1) Pariſiacis falſum licet arguat hortis,
Subducto Maris aſpectu qui fructibus exors
Exultat Lupulus; Nili tamen accola certum
Approbat in palmis, & fœdera aprica reſignat.
Nam quà gleba viget Nilo fœcunda colono,
Palmiferæque jugis procul æmula certat Idumes,
Conſpectum ni Terra Maris gratata Maritæ
Reddat, & alterius vim provocet altera ſegnem;
Dactylus hinc patrio diſtendi nectare ſperet
Nequicquam, multoque fatur manſueſcere Sole.
Connubii (2) genus hoc, caſum miſerata puellæ,
Inſtituit, curæ cui vincla jugalia, Juno:
Nam quæ ſe patulum torquet nunc arbor in orbem,
Et ramos fœtu curvat fœcunda beato,
Nympha fuit Phæniſſa, Viro deponſa coævo;
Sed quem Mars olli crudeli funere rurſum
Abſtulit, heu! nimium jurato inviſus amori.
Nam Martis fera Vir ſequitur dum caſtra, ruitque
Per telis confertam aciem, nil tale verentem
Durus in adverſum rapuit Deus: enſis adactus
Quâ dextrâ, incertum, niveum latus hauſit: acerbo
Volvitur heù letho, dextrâ jam victor ovanti,
Succumbitque ſuo penè obrutus ipſe triumpho.
Nec Sponſam id latuit: Tanti prænuncia luctus
Fama volans ſubitò miſeræ vulgavit ad aures.
Exilit infelix, tectumque, Urbemque relinquens,
Sciſſa comam, campis curſu ſe immittit apertis,
Exanimumque ſibi corpus moribunda repoſcit.
Jamque illud ſcuto impoſitum per aprica viarum

1. *Quod quidem quamvis Turnefort. falſum deprehenderit in Lupulo luxuriante fructibus quotannis in Horto Pariſienſi, Lupulo mare longè gentium abſente, idem tamen de Palmis inſiciari non audet, utpote confirmatum Hadgi Muſtaphà Legati Tripolitani ad Chriſtianiſſimum Regem teſtimonio; ut memorat t. 1. Inſtit. Rei Herb. p. 69.*

2. *Hoc ipſum veluti Palmarum Connubium fabula exornatur.*

Strata reducebant Comites, cum Nympha doloris
Impatiens gelidum in funus ruit obvia, & olli
Incumbens dedit hos imo de pectore queſtus.
Hunc ego Te, ſpoliis auctum quem rebar opimis,
Accipio thalami ſocium? Tune ille relictæ
Dulcis amor Sponſæ? Trajectus pectora ferro
Nunc, dolor heu! palles. Hæc hoſti erepta fugato
Signa refers? Sic alme redis? his nempè trophæis
Exornas thalamos? hi laurigeri hymenæi?
Hei mihi pro lauris, pacto pro fœdere verſis
Incubuit taxus faris, triſtiſque pererrat
Umbra thoros. Viduam, Tibi nec tamen antè jugatam,
Liquiſti. Et patiar? vitamque hanc perdita luctu
Sola traham? ah viro dulci ſi fœdere jungi
Non licuit; ſaltem exſtincto fidiſsima jungar:
Hoc ſedet, & tecum ſtygias comes ibo ſub umbras.
Sic ait, exanimumque ſuper jam Corpus & ipſa
Concidit exanimis, placidaque ibi morte quievit.
At non ipſa fidem, pactoſque abolere hymenæos
Invida Mors potuit: fati vel jura ſuperſtes
Vicit amor; miſerata vices nam Pronuba Juno,
Haud mora, conſortes mutari juſsit utrumque
In Palmas: fixis hærent radicibus ambo:
Ilicet: in truncum ſquamis horrentibus aptum
Pectus abit, thorace prius ſquamante coruſcum;
Quotque caput ſubdit folia alta, tot exerit enſes,
Facturos claris umbram Victoribus enſes.
Sic ollis Martis pretium; ſed non minus ingens
Conſtitit & fidei ſpecimen. Poſt fata vireſcunt
Conjugii rata jura: pari propè conſita campo
E Maris aſpectu conjux viget altera fœtu
Lætior, incoctoque gravem blandè illinit auro;
Quin ſueto ramos fructu curvare maritos
Detrectat, curis ni Mas reſpondeat æquis,
Et ſocios ſparſi vi pollinis æquet amores.
Sed (1) ſatis haud Tibi ſit florum prænoſcere partes;
Juverit & formas. Formâ ſæpè indice prodes
Herbarum claſſes; illam nec Provida rerum
Nequicquam ſtudio Genitrix diſcrevit aprico.
Scilicet hac etiam pellaci ut blandior arte

No-

1 *Attexuntur Florum differentiæ, è quibus ſæpiſsimè Plantarum claſſes innoteſcunt.*

Noſtra ſuo ſibi lenta malo faſtidia victrix
Flecteret, in varios florum ſata pharmaca cultus
Subjecit fingens, oculis ſic gratior ipſo
Diſsidio formæ, & verni diſcrimine textus.
Hos (1) foliis orbos paſſo fruticare capillo
Stamineos dedit, hos contrà pubeſcere pictis
Inſtructos petalis: petalis paſsim obvia florum
Agmina; ſed (2) Lapathum quos fert, quos (3) Oxalis, & (4) quos
Fegopyrumque, (5) Blitumque, Machaoniumque (6) Equiſetum
Stamine, vel ſpiſsis alibi diſcrevit Iulis,
Felinæ in faciem juſſos colludere caudæ.
Quid ſubdam (7) quantâ florum petala ipſa comantûm
Arte laborarit? Petalum ſolertiùs unum
Hic tractans, campani illud nunc fudit in æris
Effigiem, trahis unde tuum (8), Campanula, nomen;
Nunc infundibuli, primo quò mane liquentem
Ebibit Auroram, atque avidos deſtillat in artus
Jalapium (9), & puro florens ſe proluit imbri:
Nunc Hypocrateris, pueri Phrygis æmula rores
Propinas Superum, Veris (10) quo Primula, Regi;
Extudit (11) & petalo tot circumeunte rotatos
In gyrum egregios, Fortunæ pignora, flores;
Tot labio ſurſum flexo, flexove deorſum.

Di-

1 *Florum igitur alÿ Apetali vocantur, ſeù ſtaminei, vel Capillacei, quòd præter ſtamina nihil habeant, unde nomen trahant, ut in Lapatho*. 2 *Ital.* Romice, ò Lapazio. 3 *In Oxalide. Ital.* Acetoſa.

4 *Fegopyro, quod Seſami, ſeù Eryſimi Cerealis ſpecies eſt. Ital.* Specie di Giurgiulea.

5 *Blito. Ital.* Blito. 6 *Equiſeto, aliter Cauda equina in officinis appellatur, quod ejus folia ſunt ſetis equinis ſimillima. Ital.* Coda di Cavallo, ò Aſperella. *Hetruſc.* Coda Cavallina: *quibus accenſenda ſunt nucamenta, ſeù Juli in arboribus, felina cauda in ſpeciem dependentes. Alÿ Petalodes ſunt, ſeù petalis donati,*

7 *Hi verò, qui ſimplices ſunt, floſculis ſcilicet, & ſemifloſculis carentes, dividuntur in Monopetalos, unico donatos petalo; & Polypetalos, pleribus petalis donatos. Monopetalorum, à forma, quam præſeferunt, alÿ vocantur Campaniformes, qualis eſt flos Campanulæ.* 8 *Ital.* Campanella. *Alÿ Infundibuliformes, qualis eſt flos Jalapa, ſeù Jalapÿ,* 9 *Hetruſc.* Sciarappa. *Alÿ Hypocrateriformes, qualis eſt flos Primulæ Veris.*

10 *Ital.* Primo fiore, ò Fior di Primavera.

11 *Rurſum alÿ Rotati appellantur, Rotæ formam exhibentes.*

Diductos, Zephyrique tepens in flamen hiantes.
Vernantem Tibi flore rotam, radiiſque micantem
Borrago (1), & pomum gremio quod ſervat Amoris,
(Uſque adeò Fortuna Rotam ſubmittit Amori)
Solano geminum ſubdet (2) Lycoperſicon; at ſe
Marrubii (3), Thymbræq; (4) & quem fert (5) Scordion altè
Flos cœlo labiatum effert, labroque dehiſcit
Alterutro, & Zephyri plaudentia murmura captat.
An galeâ inſignes referam, aut vernante galero?
Anne (6) ſubornatos aptis calcaribus? urget
Queis flores animoſa ſuos (7) Linaria, pictæ
Conſolidæ (8) haud impar, pompâque exultat equeſtri,
Adde (9) alios torvam in faciem, rictuſque ferinos
Horrentes, larvâque truci placida ora tegentes,
Qualis (10) Ariſtolochi ſtirps flore excurrit, & (11) Arum;
Nam linguam exertat procul illa, effingit Aſelli
Hoc aurem, & formâ Sileno illudit inani.
At Vituli rictum præfert ſinuoſus agreſtem
Flos (12) Antirrhini, caudâ pubente Leonis
Ludit hians (13) Leonurus, & altas verberat auras.
Nec (14) Lamium diſpar, Lamiam dehiſcente figurans
Flore cucullatam: Mimæ ſpectacula Floræ
Ludicra, dum ſocias ciet ad Floralia Nymphas,
Et Perſonatos nova ſubdit in orgia flores;

Eſt

---

1 *Ut patet in floribus Borraginis. Ital.* Boraggine. *Hetruſc.* Borrana, *& Lycoperſici, quod & Pomum amoris, ſeù Aureum nuncupatur* 2 *Ital.* Pomo d'oro. *Alij labiati, ut videre licet in floribus Marrubij* 3 *Ital.* Marrobbio, ò Praſſio, *Thymbra.* 4 *Hetruſc.* Santoreggia, *& Scordij, quod aliter Triſſago paluſtris appellatur.*

5 *Ital.* Querciuola paluſtre: *quibus etiam adſcribendi, qui & Galeati, & Cucullati, & Galericulati dicuntur.*

6 *Alij calcari donati, ut in Linaria flore cernere licet.* 7 *Ital.* Belvedere

8 *Ital.* Conſolida reale. *Hetruſc.* Fiorcappuccio.

9 *Alij denique Anomali, ſeù Perſonati, quod confictam faciem, ſeù perſonam, roſtrumque animalium, rictu, & labijs non malè referant. Hujus generis eſt flos Ariſtolochia.* 10 Ariſtologia, *qui exertam refert linguam: Flos Ari* 11 *Ital.* Aro, ò Gigaro. *Hetruſc.* Giaro, ò Gichero, ò piè vitellino, *qui aſelli aurem exprimit.: Flos Antirrhini* 12 *Ital.* Paparina, *qui vituli rictum aſsimulat. Flos Leonuri.* 13 *Ital.* Leonuro, *qui Leonis conformatur in caudam: Flos Lamii* 14 *Ital.* Ortica fatua, ò morta, *qui Lamiam explicat Cucullatam.*

Eſt alius, [1] formâ inſignem quem trudit Acanthus,
Flos exors: petalo latè ſe porrigit uno
Ille, ſed anterior trifidum pars exit in unguem,
Poſterior tereti vernat tornatilis orbe;
Annulus ut ſpecie poſſit florente videri.
Nec fruſtrà eſt ſpecies; nam qui nunc eſſe videtur,
Re quondam, ut fama eſt, verus fuit Annulus, ipſam
Quo Zephyrus ſtabili junxit ſibi fœdere Chlorin.
Hoc jurata fides: illum ſed Diva jugalis
In fidei teſtem fido commiſit Acantho,
Et juſſit florere: comam, mora nulla, triſulcam
Extulit is, patulo telis vallatus acutis
Incluſus calatho, fundoque inolevit amico.
In florem erumpens ſic Annulus ipſe quotannis
Chloridis æternos Zephyro teſtatur amores.
  Aſt [2] alibi petalis Natura comantibus ultrò
Inſtitit, & numero formam inſignivit olentem.
Haud certâ ſine lege; viget nam Teſſera flori
Cuique ſua, & proprium prætendit vertice ſignum.
Ex illo mos hic Veris pubem inter apricam
Invaluit, Brumæ inviſæ quo tempore bellum
Ver primùm indixit, campoque effulſit aperto.
Nam, vetus ut memorat rumor, ſigna illud in acrem
Illaturum hoſtem, quinas in prælia turmas
Eduxit, totidemque Duces præfecit, amicas
Qui ſua conſcriptas agerent ſub ſigna catervas.
Prima [3] init bellum [4] Crambe, Cruciformibus altas
Nexa comas petalis, ſocio quam Marte ſecuti
Inſtructi petalis quatuor, totidemque prementes
Diſtinctos foliis Calyces, blanda agmina, Flores.
Quales Euboicis profert laudata viretis
Braſſica [5], Leucoiumq; [6], & Thlaſpis [7], & [8] Heſperis, & quæ
Per

1 *Peculiaris ſit mentio de Monopetalo Acanthi flore.* Ital. Brancorſina *qui unus imâ ſui parte in Annulum deſinit: quod Fabulæ locum facit.*
2 *Polypetali verò flores à Turnefortio dividuntur (quæ diviſio hic fabuloſe ſub cortice deſcribitur)* 3 *In Cruciformes, quatuor petalis conſtantes, Crucis in formam diſpoſitis; quales ſunt flores memorati, quorum pariter Calyx quatuor obtinet folia eodem ordine diſpoſita; Piſtillum autem ſemper abit in fructum.*
4 Cauolo Selvaggio. 5 Cauolo Sativo. 6 Viola bianca. 7 Tlaſpi, ò Senape Selvaggia, 8 Specie di Viola.

Per riguas vernant quærenda [1] Siſymbria valles.
Omnes quadrifidis diſcreti inſignibus, omnes
In fructus ceſſura ſinu piſtilla gerentes.
At [2] quibus aut minor eſt petalorum, aut major in orbem
Digeſtus numerus, quo ſe flos ipſe Roſarum
Comit ovans ritu, præeuntem audacius ipſam
Spontè Roſam comitantur, & inde inſignia ducunt.
Hæc flos [3] Pæoniæ, hæc ſequitur vexilla [4] Thalictrum,
Alſineque [5], Sedumque [6], Nigellaque [7], [8] Thelephiumque,
Ventorumque minis obnoxia [9] Pulſatilla.
Et [10] Te belligerum Ver pulchra in prælia miſit,
Caryophylle [11], Ducem, cui belli inſigne ſuperbum
Floreſcente Calyx tubulo, crinemque rotante.
It [1] Lychnis tecum, [13] Staticeque, & flexile germen,
Cucubalus [14], parili præſtans qui ſtemmate gaudet
Caryophyllæis ſe ſe tranſcribere ſignis.
Vos [15] etiam veſtra affines ab imagine turmas
Senis inſignes petalis, totidemve reſectis
In partes agitis, Candentia [16] Lilia, perpes
Teſſera, diſcreta in ternas queis Capſula thecas,
Capſula, piſtillum fœtam quam ſemine gignit.
Veſtris [17] Aſphodelus, veſtris accedere ſignis.
Iris [18] amat, varioque micans [19] Tulipa paratu;

Nar-

1 Menta Selvaggia. *Hetruſc.* Siſimbrio, ò Calamento.

2 *In Roſaceos, ex pluribus, aut paucioribus petalis, quam quatuor in orbem digeſtis compoſitos, quo planè modo Roſarum petala diſponuntur; ut cernere licet in recenſitis.* 3 Peonia. 4 *Ruta pratenſis aliïs.* *Ital.* Argentina. 5 *Aliter morſus Gallinæ.* *Ital.* Centone, Pizza Gallina, ò Panarina. 6 Sempreviro. 7 Nigella. 8 *Aliter Fabaria, ſeù Craſſula major, aut Faba inverſa.* *Ital.* Fava inverſa. 9 Specie di Anemola.

10 *In Caryophyllaos, qui in eo differunt à Roſaceis, quod eorum petala ex ipſo Calyce, tanquam è Tubulo emergant; uti ſunt flores Caryophylli.* 11 *Ital.* Garofalo, ò Garofano. *Hetruſc. etiam* Vivuolo. *Lycnidis.* 12 *Ital.* Licnide, *Statices.* 13. *Ital.* Specie di Garofano montano. *Cucubali.* 14 *Ital.* Cucubalo, Specie di pan porcino, ò di Morſo di Gallina.

15 *In Liliaceos, ex petalis ſex, vel in ſex partes ſectis conſtantes, atque ad liliï formam accedentes. Quorum id proprium, ut piſtillum, aut Calyx abeant in Capſulam in terna ſemper loculamenta diviſam. Hujus generis ſunt flores, qui innuuntur.* 16 Giglio. *Hetruſc.* Fiordaliſo. 17 Aſfodillo, ò Aſta Regia. 18 Iride di Primavera. *Hetruſc.* Ghiaggiuolo. 19 Tulipano.

Narciſſuſque(1),Crocuſque(2) ,& ſuavè rubens(3) Hyacinthus;
Nec renuit(4)flos ipſe, ſuo qui crine coronam
Suſtinet Imperii dignam cognomine, nec(5) qui
Igne fatur multo, guttiſque interlitus aureis
Elato ſtirpis ſe caule binominis effert ,
Pubentemque alto ſubmittit vertice ſylvam .
Haud(6)procul inde ſuo(7)Lathyrum florente refulſit
Papilione , trahens cognata legumina flore
Compta pari, molle(8)Hedyſarum,(9)Piſumque(,10) Fabamque;
Aſtragalumque11 ,Orobumque12 , Securidacamq; 13ſonantē;
Atq;(14)Ochrum,atq;(15)Aphacen,atq;Hircigenā(16)Tragacan-(tham
Ollis, quod petalum ſuprà eſt, latum explicat altè
Vexillum, pandam inferius dat ritè carinam ;
Quod micat hinc illinc, geminas accommodat alas .
His olim turmis gelidam trans Arcton abacta
Triſtis hyems, Verique volens Victoria ceſſit .
Martia ſed floris manſit nota, quæ ſibi conſtans
Dividit in certas etiamnum germina claſſes ,
Diſcernitque ſuis notas inſignibus herbas .
Exleges(17)alii petalis difformibus errant ,
Larvati varium flores genus , horrida Veris
Gaudia , Pratorum Lemures: hinc nempè(18)Reſeda

I Cor-

1 Narciſſo. 2 Croco, ò Zaffarano. 3 Giacinto, ò Ghiacinto. 4 Corona Imperiale. 5 *Flos elegantiſſimus* , *Lilio-Narciſſus Indicus, Noſtrat.* Giglio del Madagaſcàr .

In Papilionaceos, Papilionem referentes , atque ex petalis diſsimilibus conſtantes, quorum ſuperius Vexillum, inferius Carina ; duo, quæ media ſunt , alæ nuncupari ſolent . Tales ſunt flores Leguminum , quæ recenſentur .

7 *Aliter Cicercula*, *Ital.* Cicerchia. 8 Fava di Lupo. 9 Piſello. 10. Fava. 11 Aſtragalo, 12 *Ital.* Ervo. *Hetruſc.* Orobo, ò Moco 13 Specie di Fava di Lupo. 14 *Aliter Eurilia. Ital.* Roviglione , ò Piſello minore. 15 Veccia 16 Spina d'hirco.

71 *Denique in Anomalos , ſeù Perſonatos, qui multiformes ſunt . Alij ſiquidem corniculis horrent, ut flos Reſeda, Hetruſc.* Rucchetta Salvatica; *alij unguibus aquilinis, ut flos Aquilegiæ. Ital.* Aquilina ; *alij galea munitum ſimulant caput, ut Aconiti flos. Calceolum itidem exhibet flos plantæ Cognominis, Flabellum flos Melianthi, Ital.* Nigella, *Caudam Balſamina, Hetruſc.* Balſamino, *Galeam Ophris, Ital* Perfoliata Selvaggia, *& Nidus avis, Herba ſic dicta, quòd ejus radiculæ ità cōplicētur ut avis referant nidum . Calcar Delphinium; aliter Conſolida Regalis. Ital.* Fior Regio, ò Spron di Cavaliere. *Hetruſc.* Fiorcappuccio .

Corniculis, illinc Aquilinis unguibus horret,
Quæ trahit inde ſuum vernans Aquilegia nomen.
Aſt Aconita, triceps fœdo quæ Bellua partu
Edidit, obtectum galeâ caput ore recludunt
Terrifico, clauſamque armant in funera tabem.
Sunt & Calceolos, ſunt & qui molle flabellum,
Aut longam aſſimulent caudam, galeaſque, cucullosq;
Additaque audaci referant calcaria luxu.
Quò 1 feſſum rapitis læta in ſpectacula vatem
Quæ perſonato per campos luditis ore
Orchides, unâ olim genitæ de ſtirpe Sorores
Orchides, attonitæ nunc ſpectra virentia Floræ?
Circæas noſco fraudes, artemque, doloſque.
Forte peragrabant vicini Rura Salicti
Sparſim illæ, & gratis fallebant otia nugis.
Delicias hæc læta ſuas roſeo ore puellum
Maternis ludentem ulnis complexa fovebat.
Illa tuo capta ingenio, rictuque ſagaci,
Cercopithece, ſequax humani moris, amica
Captare officia, & lepidos gaudebat amores.
Illius inſtabat capiti fera ludicra, ſordes
Ungue legens avido, & cura incumbebat anili.
Aſt aliis alto è Ramo pendentis Arachnes
Mirum opus, & raris intextos orbibus orbes
Ludus erat ſpectare, ſequi vel ruſtica ſepis
Per loca depicti ſqualentia terga lacerti.
Nec deerat, quam docta thymi retineret olentis
Prædatrix Apis intentam, gratuſve Columbæ
Captivæ filo, aut modulantis Acanthidis error.
Ante alias unam ſtudio fallente tenebat
Pſittacus, humani ſimulator Pſittacus oris,
Gloriaque, & ſylvæ viridis Regnator Eoæ.
Has tum ille acceptas geſtibat gutture voces
Reddere: Flora veni. Cum nimbo invecta repentè
Adfuit & Circe, ludenteſque æthere ab alto
Per nebulam ſpeculata, meis en artibus, inquit,
Quas nuper Genitor docuit me clarus olympo,

Area:

1 *Nullibi verò licentiùs Natura luxuriat, quam in Orchidum floribus Ital.* Specie di Satirioni, *nunc Hominem nudum, nunc Cercopithecum, nunc Araneum, nunc lacertam, nunc Apem, Columbam, aut Acanthidem, aut Pſittacum, aliaque id genus examuſsim referentibus. Quod Fabula locum facit.*

Area: quid cantu, lecto quid ceſpite poſſim
Experiar: fas ſit primo hoc tentamine ſuccis
In virides vultus, vernantum & terga ferarum
Induere hanc, viridi ludit quæ gramine, turbam,
Herbarumque novas educere viribus herbas.
Dixit, & obductâ exoluens ſe nube, patentem
Intulit in campum, reſides ubi læta Sorores
Per ſa.a non uno laxabant ſeria ludo.
Hic claro Sata Sole locum jam nacta nocendi,
Vicinum labro, non ulli cognita, fontem
Marmoreo exceptum lethæis inficit herbis.
Æſtus erat, luſuque ſitis concepta premebat
Nympharum fauces: lymphas, mora nulla, propinque
Undantes Cratere petunt, heu! fraudis opertæ
Ignaræ. Ipſa ultrò extimulat Titanis hiantes.
Vix undis expulſa ſitis, cum protinus omnes
Vi tacitâ in virides mutari corpore formas
Paulatim cœpere; manet defixus humi pes,
Inque habilem Caulem pectus gracileſcit, & altis
Luxuriat foliis; foliis flos additur, ægris
Solamen, raptos ollis qui penſet amores.
Quippe hic vidiſſes demitti è flore ſupremis
Hærentem palmis, & nudum membra puellum.
Pubeſcentem illic lepido Te ludere rictu,
Cercopithece, vafræque novum decus addere fronti.
Aſt alibi, aut verſa in florem pendebat Arachne,
Aut Apis, heu! florum prædatrix nuper, opima
Nunc præda, ingenioque ſuo male perdita, & auſis.
Ipſa etiam vernat ficto nunc ore Columba;
Et dumis aſſueta, decor nunc floris Acanthis.
Tuque olim Sylvæ Garamantidis accola, nunc flos
Haud ultrà increpitas ceſſantem, Pſittace, Chlorin.
Sic clam Circæâ-ſoboles nova floribus arte
Addita, præluſumque aliis hoc pignore monſtris.
Sunt(1) alii, Calycem coiens quos creber in unum

1 *Sunt præter flores Polypetalos enumeratos ſimplices, alij Polypetali, qui Compoſiti dicuntur, triplicisque ſunt generis, Floſculoſi, Semifloſculoſi, & Radiati. Floſculoſi ex plurimis floſculis componuntur confertim poſitis, eodemque Calyce comprehenſis. Floſculi autem ſunt petala fiſtuloſa, tenuia, quorum ſuprema pars laxatur multifariam, ſæpius tamen ſtellæ inſtar dividitur; ut obſervatur in Carduo. Hetruſc.* Cardo; ò Stoppione, *& Erigerone, ſeu Senecione. Ital.* Cardoncello, Spellicciosa. *Hetruſc,* Creſcione.

Floſculus, aut creber quos ſemifloſculus ornat 1:
Hoc(1) Scolymus,(2) Sonchuſq; , illo ſe Carduus effert
Flore gravem, & verna Erigeron inſigne ſenecta.
At(3) Doronicum quem fert, oſtentat utriſque
Compoſitum, denſus diſcum nam floſculus implet
In medio ſtantem; radiatam aſt inde coronam,
Qui ſubit hinc circum, atq; hinc, ſemifloſculus ambit.
Hoc etiam vernat ritu qui ducit(4) ab aſtro
Flos nomen, parilique refert decora aurea formâ;
Atque (5) Jacobææ germen, (6) Soliſque Corona,
Et circumducto Radiata (7) Calendula limbo.
Tam (8) vario florum felix diſcrimine Tellus,
Ut proſit, Tibi ridet: opes tu lætus apricas
Intereà venerâre, fugaciſque omine floris
Præſidium vitæ ſolers Tibi quære fugaci.
Ah! quoties penè illa Phthiſi comſumpta (9) Roſarum
Flore refloreſcet; ducta è Convallibus ægro
Lilia(10) ſuccurrent Capiti,(11) Cyanoque ſalubri
Icterus(12) excedet victo male decolor auro.
Ne(13) tamen hic ſiſtas: Fructus in operta tumentis, An-

1 *Semifloſculoſi ſunt, qui è ſemifloſculis eodem modo congeſtis componuntur. Semifloſculus autem eſt petalum inferna tantum parte fiſtuloſum, media verò, & ſuprema planum, ac veluti in lingulam productum. Quales ſunt flores Scolymi.* *Ital.* Articoca, ò Carcioffo, *& Sonchi* 2 *Noſtrat.* Cardillo. *Hetruſc.* Cicerbita. *Radiati denique duas partes habent, quarum, quæ medium tenet, Diſcus dicitur, & floſculis conferta eſt; quæ Circumferentiam, ſeù limbum, Corona nominatur ex ſemifloſculis coacervata. Tales ſunt flores Doronici* 3 *Arab.* Haronigi, ò Doronigi. *Aſteris.* 4 *Hetruſc.* Aſtro. *Jacobææ* 5 *Ital.* Cardoncello Maggiore. *Corona ſolis, quæ Helenii Peruviani ſpecies* 6 *Ital.* Specie d'Enula, ò di Fior d'Elena del Perù. *Calendula* 7. *Ital* Fior d'ogni meſe, ò Spoſa del Sole.

8 *Longè verò præſtantior florum uſus in rem medicam ex iis ſiquidem præſentiſsima pharmaca in vita humana præſidium conficiuntur; ut aliquorum exemplo ſtrictim comprobatur* 9 *Roſarum nempè* Ital. Roſelli, *quæ Phthiſi. Hetr.* Etticia. 10 *Liliorum Convallium. Ital.* Gigli delle Convalli *Hetruſc.* Mughetti, *quæ Capiti,* 11 *Cyani, Ital.* Ambretta. *Hetruſc.* Fioraliſo, *qui Ictero medetur.* 12 *Hetruſc.* Itterizia.

13 *E Floribus gradus denique fit ad ſeminum, & Fructuum obſervationem. Eſt autem Fructus (deſcribente Jungio) Pars plantæ annua flori ut plurimum cohærens, eique ſuccedens; ex qua terra demandata fit novæ plantæ initium. Nam vel in ipſo fructu ſemina concluduntur, vel ſemen ipſum fructus eſt.*

Annua qui plantæ pars eſt, & poſthuma Floris
Gloria, peruadendum,& eundum in ſemen,& ultrà eſt.
Scilicet hoc ipſo in fructu genitalia ſtirpis
Semina deprendes; vel enim Tibi pervius ipſe
Semen erit fructus, patrii vel ſeminis idem
Capſula concepto turgeſcens provida fœtu.
Haud(1) etenim ſemper fructu concluſa legenti
Semina ſe reddunt: Sunt quæ Calyce edita ſummo
Vernantum pridem unde ſitu petala obſita florum
Defluxere, patent oculis jam nuda, Thalictri
Qualia Flos aperit, nec non & Salvia, quæque
Verticulo ſtirpes, umbellæ aut tegmine gaudent.
Aſt (2) alia obductis ſuccreſcunt abdita thecis,
Et varijs diſcreta modis ſua vaſcula complent.
Alveolo hæc uno contenta, & ſimplice, cellas
Illa autem in plures digeſtum optantia certis
Ordinibus. Thecâ concluſas ſimplice condit
Fœta ſuas ſibi Lychnis opes, & Primula Veris,
Quæque ſonantem urgent numeroſa legumina ſylvam.
Diſiunctas ſectæ in cellas ſua ſemina thecæ
Flore ſuperba ſuo credunt Delphinia: junctas
Mercurialis amat, binaſque, ut Thlaſpis, & ipſum
Leucoium; alveolis unum ſed parcior illa
Commendat ſemen, dant iſta tumeſcere crebris.
At ternos(3) cenſum in loculos Tithymalus avitum,
Atque (4) Aſarum partitur: avariùs ille, ſed iſthuc
Largius alveolos ſtipans ſemente capaces,

Nec

1 *Non enim ſemper fructu, vel conceptaculis concluſa latent ſemina. Aliquando ſummo è Calyce, unde pridem florum petala defluxerunt, ſuperiori patent parte; ut in Thalictro, & Salvia obſervare licet, cæteriſque Verticillatis herbis, & Umbelliferis.*

2 *Alia verò ſuis conduntur thecis, & conceptaculis, quæ vel ſimplicia ſunt unicam intus cavitatem habentia, ut in Leguminibus uſuvenit, Lychnide, & Primula veris, vel in plures cellulas dividuntur, diſiunctas in Delphinio, conjunctas in Mercuriali, & Thlaſpide, uti etiam Leucoio; quorum Mercurialis ſingulis ſeminibus ſingulas deſtinat cellulas; Thlapſis vero, & Leucoium pluribus ſingulas complent.*

3 *Terna ſibi vindicat loculamenta Tithymalus, & Aſarum* 4 *Ital.* Aſazo, ò Baccara; *ille itidem ſingulis ſeminibus ſingulos occupans alveolos, hic ſingulos pluribus.*

Nec vos lethæo perfuſa (1) Papavera ſomno
Tranſierim, haud certo numero quæ didita granis
Impletis gravidas per conceptacula cellas.
Hæc (2) Tibi præ reliquis, Medicæ non ultimus artis
Si quis amor, cordi ſit pars, hinc plurima vitæ
Dona laboranti, & præſentia pharmaca duces.
Hinc nempè adversùs ventris ſub carcere ventos
Luctantes multum (3) Mei de ſemine robur,
Fœniculiq; (4), Cariq; (5) feres: Tibi ritè (6) Geniſtæ
Parebit ſemen, ſeù (7) lymphæ intercutis humor,
Seù (8) croceus toto perfuſus corpore pallor
Sit tergendus, & (9) Arthritis parili arte fuganda.
Ipſa & in hanc partem ſtudio ſolertior omnes
Intendit vires Natura, atque inſtat agendo,
Conceptamque fovet, niſuque haud format inani.
Aſpice (10) quà cæco latitat ſub tegmine ſemen,
Ipſa illa incluſum quæ theca virentibus ambit
Exuvijs fœtum, genitale eſt ſeminis arvum,
Eſt uterus, trahit unde ſuas ſtirps adſita vires.
Haud (11) tamen is ſimplex plantis viget: ille quibuſdã
Folliculi in morem gracilis, penituſque cavati
Ducitur, utriculiſque ſuis, fibriſque coactis,
Tracheiſque viget: medium ſtat ſemine centrum,
Fœcundumque docet teneros adoleſcere fœtus.

Craſ-

1 *Papavera vero multas cellulas incerto numero ſibi cudunt, & complent.*

2 *Horum ſeminum cura laudatur in primis, utpote quorum uſus eſt in re Medica commendatiſsimus, ut aliquorum ſeminum exemplo, & ex ipſius Naturæ ſtudio in ijs cudendis planum fit.*

3 *Officin.* Meo 4 *Ital.* Finocchio. 5 *Officin.* Carvio, *quod aliter Careum, & Cuminum pratenſe appellatur: quorum ſemina ad flatus diſcutiendos præſentiſsima.* 6 *Ital.* Gineſtra, *cujus ſemina adverſùs memoratos morbos plurimum valent.* 7 Idropiſia. 8 Itterizia. 9 Dolor articolare. *Hetruſc.* Artetica.

10 *Conceptaculum, ſeù Vaſculum ſeminis, ejuſdem Uterus à Botanicis cenſetur.*

11 *Hic verò Uterus in Plantarum aliquibus, ſolo membranaceo, gracilique corpore, concavo, & tubuloſo, veſiculæ inſtar, conſtat, eoque ligneis fibris, tracheis, & utriculis contexto; in cujus centro ſemina, ſeù fœtus gignuntur, & adoleſcunt.*

Craſſior(1)Herbarum ſiliquante in gente tumeſcit,
Et veluti quoddam obducit Pericarpion: addunt
Nativis (2) aliæ ſtirpes majora reductis
Munimenta uteris, cautè queis ſemina ſervent,
Turgentemque novo veſcum dant corpore fructum;
Non ſecus ac ubi fœmineus jam ſanguine ſenſim
Concrevit contento uterus: tumet ille, ſuamque
Craſſitiem triplò excedit de more priorem.
Provida (3)ſeminibus ſic cavit inermibus altrix
Omniparens, teneris ſuccum ſic præparat, altè
Sic obducta fovet, rapidi ne torrida Solis
Vis ruat, & plantæ genitabile pignus adurat.
Quin (4) poſitis nova ſubtexens munimina clauſtris
Oſſea, vel propè congeneri ſubſtantia ductu,
Longiùs è Phœbi telis obtecta removit.
Addidit (5) &,ſeros queis illa juventur in ortus,
Membranaſque leves, obvoluenteſque ſecundas,
Et diducta ſuis ſuperaddidit oſcula labris.
At(6) non iſta ſibi ſtabili clauſtra obſita ritu
Omnia ſubjicient tibi ſemina. Sunt quibus ipſa
Nuda patent, crebroque obeunt pericarpia fœtu,
Subjectis latè è baccis extantia. Certum
Ipſa Tibi in primis nullo carpenda labore
Fraga (7) dabunt ſpecimen: fragis foris eminet aptum

Fœ-

1 *In alijs Vegetantium ordinibus, ut in Siliquantibus craſſiori tomento, quaſi quodam Pericarpio, conſtare videtur.*

2 *In alijs vero craſſius obducitur pericarpium, quod Fructus dicitur, veſcumque eſt.*

3 *Horum præcipuus uſus à Natura intentus videtur eſſe; ut ſuccum contento fœtui ſufficiant, eumque foveant, ac tutentur, ne ſolari calore contabeſcat.*

4 *Hinc in pleriſque præter Pericarpium, aliæ etiam ambiente interius corpore ſemina obvelantur, quod vel oſſeum eſt, vel cartilagineum.*

5 *Addidit etiam his Natura integumenta quædam, ſeù membranulas Secundinis Analogas, quorum ope cuſtodiuntur; umbilicos etiam quoſdam, ſeù hiatus & oſcula, quibus in germinationem utuntur, ac juvantur.*

6 *Notandum hic Naturam non in omnibus Pericarpium exteriùs collocaſſe, & ſeminibus circumpoſuiſſe, ut ipſum Pericarpij nomen indicare, & exigere videtur, ſed in aliquibus verſa vice è pericarpio ipſo emergere voluit uteros, & ſemina: ut in Fragis,* 7 *Ital.* Fragole, *præcipuè cernere licet: quod Fabula dat anſam.*

Google

Fœturæ ſemen, baccisque rubentibus hæret.
Supplicii monimentum, olim quo pendere pœnas
Pomonæ meritam juſſit gravis ira puellam.
Frugiferos plantis nam ſuffectura nepotes
Semina dum vesco furtim ſibi condita fœtu
Carperet, & patulis mandaret Diva caniſtris;
Haud procul hinc pomis calathum ſpeculata refertum,
Illecebris malè capta ſuis, quò fallere Divam
Poſſet, humi reptans prædæ ſucceſſit opimæ
Parva Hyale, pomiſque ſinus oneravit inemptis;
Jamque pedem voti compos referebat, obortus
Cum fragor offenſo vicino è Cespite furtum
Prodidit; Autumni extemplo namque excita Præſes
Poſt Carecta ream fraudis rimata latentem eſt.
Nec mora; ſiſte, ait increpitans, Temeraria ſiſte:
Feſtinatque gradum, trepidæque ſupervenit: illa
Erubuit deprenſa; ſinu ſimul abdita poma
Defluxere: pudet: Furti convicta tenetur.
At Dea tum ſtimulis acuens haud mollibus iras:
Tantum avidæ quando licuit, dabis improba pœnas;
Pœna erit hæc, modò quæ fuerat reptare voluptas;
Venturiſque, inquit, tua furta fatebere ſeclis.
Sic ait, & tereti, dextrà quam fortè gerebat,
Percuſſit virgâ pavitantem,& plura parantem
Dicere: Fatifero actutum mutatur ab ictu
Prædatrix, gracilique, ut erat jam pumila, ſcapo
Hæret humi: tenues abeunt in vimina crines,
Brachiaque, & parvæ objectu ſe frondis inumbrant.
Vel ſic verſa tamen ſceleris quoque germine præfert
Nympha notas; nam lenta ſolo ſibi conſcia fraudis
Reptat adhuc, furtumque oculis teſtantia paſſim
Seminibus ſuper impoſitis pubibunda refuſum
In fraga emittit, quem prætulit ore, ruborem;
Mutatoque etiam Fragaria nomine dicta.
Haud (1) verò contrà tanto male fida labori,
Naturæ aut ſtudio, quo ſemina cudit, avara
Reſpondet Tellus: multo cum fœnore reddit
Quæ ſibi creduntur, fœtu nec lætior ullo
Luxuriat magis, aut proventibus horrea rumpit

Na-

1 *Porrò mira eſt in Plantis nonnullis ſeminum fœcunditas, ut in recenſitis deprehenditur.*

Quid tibi (1) Hyoſciamus nutrit quæ ſemina? quid quæ
Nicoſiana (2) refert, aut alba (3) Papavera, pulchræ
Tuque (4) Helenæ lacrymis flos pulchrior edite, Tuque
Suffertam (5), Typha, quæ ſubigis lanugine ſpicam,
Enumerem, quæque (6) Inda Mays, quæque utile venis
Verbaſcum (7), & theca condit (8) Digitalis onuſta?
Major (9) erit tibi noſſe labor quot ſemina ſurgens
Stirpe capillari (10) Phyllitidis una profundat
Herba ſinu: numero liceat comprendere Sole
Ante quot æſtivo libycas terat area fruges,
Aut ubi nimboſis ponto Notus ingruit alis,
Quàm multæ, ſpumante ſalo, volvantur arenæ:
Tot parvâ de ſtirpe, ſatu fœcunda beato,
Semina multiplici fundunt ſe prodiga partu.
Omniferæ viſum ſic Matri. Erumpit in auras
Quò ſata planta minor, viret hoc fœcundior, & ſe
Promovet, & multo diſtendit pignore thecas.
At quæ (11) proliferâ ſeſe Radice, flagellis
Aut ſenſim per humum reptantibus herba propagat,
Maturum rarò ſemen ſibi perficit, ipſa
Ut Peluſiaco (12) Calocaſia nota Canopo,
Quæque coloratis venit (13) Canadenſis ab Indis
Battata, & (14) Raphani proles Tibi ruſtica prodet;

K Alma

1 *Aliquibus* Oppio. *Hetruſc.* Giuſquiamo, ò Juſquiamo 2. *Ital.* Erba del Tabacco. 3 *Hetruſc.* Papavero bianco. 4 *Aliter Helenium, vel Enula. Ital.* Enula campana, ò fior d'Elena. 5 *Hetruſc.* Mazzaſorda. 6 Grano d'India. 7 Verbaſco, ò Taſſo barbaſſo. 8 Digitale. *In uno ſiquidem Helenii flore memorat Laurembergius numeraſſe ſe pluſquam* 3000. *ſemina. Typha major, auctore Grevio, pluſquam* 12000. *quotannis ſemina perficit. Ex Nicoſiana interdum collecta grana* 36000. *ex Albo Papavere* 32000.

9 *Numeroſiſſima verò omnium ſemina educunt Herbæ Capillares dictæ, peculiari quodam Naturæ ſtudio, eò copioſiora emittentis ſemina, quo minora ſunt. Unius Phyllitidis* 10. *Ital.* Lingua Cervina, *annuus proventus ad decies centena millia ſeminum ſæpiſsimè accedit.*

11 *Secus ſe res habet in ijs plantis, quæ Radicibus proliferis, ſeù Reptatricibus, aut flagellis ſubindè radices agentibus ſe propagant, ut in Colecaſia,* 12. *Ital.* Fava d'Egitto; *in Battata Canadenſi,* 13: *Noſtrat.* Vite del Canadà; *& Raphano Ruſticano.* 14. *Ital.* Raſano, ò Radice Selvaggia.

Alma (1) perinde quaſi Natura propaginis aptis
Jam contenta modis, ejuſdem negligat uſum
Per ſemen, parcatque novo non æqua labori.
Hunc (2) ipſum quamvis (3) Gerardi indulgeat Herbæ
Læta, tuoque, arvis repens (4) Ranuncule, caulis
Altera reptanti nam ſe Radice, flagellis
Multiplicat ſeſe alter, opes tamen addit utrique
Ipſum etiam ſua ſuccreſcens in munia ſemen.
Ante tamen vitæ quam tot conceſſa tuendæ
Dona legas, pauca hæc ſunt obſervanda legenti
Inſuper. Haud (5) plantæ pro mole, & ſeminis æqua
Expectanda Tibi moles; hac lege tenetur
Natura haud quaquam, quin parvo è Caudice ſæpe
Tam Magnum videas exiſtere ſemen, ut ipſi,
Arborea de gente venit quod fertile, præſtet.
Selige quos (6) Viciæ fœtus, triſteſque (7) Lupini,
Quoſque (8) Fabæ, quoſque ipſa humili dant germine (9) Piſa,
Nonne illos, quos lenta (10) Salix, quos (11) Populus ingens,
Betulaque (12), & (13) Ficus, ſociataque Vitibus (14) Ulmus
Submittunt, mole anteeunt, longèque renident?
Diſpariles (15) etiam cernes erumpere fœtus
Congenerum plantarum; Ingens ſic (16) Cerrus opacam

Haud

1 *Hę ſiquidem ſemen rarius perficiunt, & ad maturitatem perducunt; perinde quaſi Natura propriis harum plantarum propagationis modis intenta, eum, qui per ſemen eſt, negligat.*

2 *Hoc ipſum tamen generatim verum non eſt; cum pleraq; quæ aut radicibus reptant, aut flagellis ſe propagant, ſemen tamen copioſum, idemque fœcundum progignant; ut obſervatur in Herba Gerardi,* 3 Ital. Specie d'Angelica minore Selvaggia: *& Ranuncule Repente* 4 Ital. Ranunculo, ò piè Corvino ſerpeggiante.

5 *Obſervandum inſuper Naturam non ſervare Magnitudinis proportionem inter ſemina, & plantas; ita ut ſemper quo major planta eſt, majus ſemen progignat. Sunt enim non pauca Herbarum ſemina, quæ Arborum ipſarum ſeminibus molis præſtent Magnitudine: ſic ſemina Viciæ.* 6 Ital. Veccia. *Lupini.* 7 Ital. Lupino, *Fabæ.* 8 Ital. Fava. *Piſi.* 9. Ital. Piſello, *ſeminibus Salicis.* 10. Ital. Salice, ò Salcio. *Populi.* 11. Ital. Pioppo. *Betulæ.* 12. Ital. Betula. *Ficus* 13 Ital. Fico: *Ulmi* 14 Ital. Olmo, *multis partibus anteſtant.*

15 *Neque hoc in plantis dumtaxat diverſorum generum contingit, ſed interdum etiam in ejuſdem generis ſpeciebus. Sic ſub genere Arborum Glandiferarum Cerrus arbor* 16 Ital. Cerro *Quercus Noſtras.*

Haud(1)Quercum aſſequitur, tamen hâc præſtantior ultrò
Majorem duplò gaudet Tibi cudere glandem:
An Tibi(2) Cerinthæ rurſum, quæ purpurat arvis
Annua, ſubjiciam ſpecimen? Minor illa perenni eſt
Cerinthe, ſummis vernat quæ Montibus, hujus
Illa tamen majus progignit ſemine ſemen.
Scilicet (3) herbarum quæ gens viret annua, pignus
Fert longè majus, quam quæ longæva perennat,
Cognata ſint ſtirpe licet: vulgaria turgent
Hinc Tibi(4) Piſa magis,quam quæ dat pignora Majus,
Sit perpes quamvis,(5)Lathyrum.Sunt maxima ſemper
Annua proveniunt quæ ſemina, qualia profert
Molle(6) Cicer,tumiduſque(7)Pepo, lentuſque(8) Phaſelus,
Floſque(9) nitens à Sole(10),Lupique volubile gramen.
Nempe ſubeſt virtus his integra, victa neque ævo
Languet adhuc, ſenſimve retro ſublapſa refertur.
Hæc(11) parcis, ſi quando animum ſubit ulla cupido
Veſcendi, menſis ſepone: Salubrior inde
Eſca venit, meliorque ſapor; nec molle putamen
Obſiſtit tractanti, aut furfure fœtus abundat.
Quod(12) ſi jam ſulcis ea ſint credenda ſubactis,

1 *Ital.* Quercia, *magnitudine cedit; glãdem tamen duplò majorem educit.* *Cerinthe purpurea annua* 2 *It.* Specie di Cinogloſſa dimeſtica à fior roſſo, *Montana perenni minor eſt, illius tamen ſemen hujus ſemine majus.*

3 *Compertum enim eſt in iis plantarum generibus, ſub quibus ſpecies alia annua ſunt, alia perennes, annuarum ſemina ſeminibus perennium majora eſſe. Sic Piſa vulgaria* 4 *Ital.* Piſelli, *majora ſunt ſeminibus Lathyri majoris perennis* 5 *Ital.* Cicerchia maggiore. *Immò univerſim Herbarum annuarum ſemina longè maxima ſunt, ut in enumeratis liquet.*

6 *Hetruſc.* Cece 7 *Ital.* Melone. 8 *Hetruſc.* Fagiuolo. 9 *Ital.* Enula del Perù, ò Corona del Sole. 10 *Ital.* Lupino.

11 *Hinc colligitur annua præſertim ſemina in cibum ſeponenda eſſe, ſive frumenta ſint, ſive legumina; quia ea ſunt ſaporis gratioris, & nutrimenti ſalubrioris, eorumque purgatio facilior, proventus uberior, & farina ad furfures proportio major.*

12 *Quod ſi ſemina ſationi deſtinentur, longiorẽ ætatem ferunt; cum enim oleo copioſiore ſcateant, oleumque, utpote corpus viſcidum, nec facilè evaporans, ſeminali ſpiritui continendo idoneum ſit, fit hinc, ut ſemina multos annos fecunda durent, & ſata germinent. Quinquennium communius conceditur: quãvis non deſint, qui ultra etiam decennium fecunditatis ſpatiũ protrahant. Vide hac de re Rajum t. 1. Hiſt. Plant. p. 25.*

Non ævi damnanda mora eſt. Genitabilis intus
Quæ latet, affuſoque oleo devincta tenetur,
(Namque oleo uberiùs ſemen ſcatet) utilis annos
In multos vel longa trahit quinquennia Virtus.
Hos ultrà fines habilem vim fœtibus ultrò
Haud ſpondere auſim; quamvis non deſit avaram
Qui ſpem promiſſis audax majoribus inflet.
Ut (1) fœcunda ſatu vigeat tamen illa, cavendum
Ne nimium bibat humorem; nam contrahet inde
Marcoremque, ſitumque; gravis neù torreat æſtus,
Acrior aut ſolito Brumæ vis lædat: ab æſtu
Areſcit vigor omnis, eumque nivalis adurit
Bruma gelu, virtuſque omnis vaneſcit in auras.
Atque (2) hæ præcipuæ in cultus, artemque medendi
Sint fruticum, campiſque gravi jam caule virentum
Herbarum partes: alias, quas fortè reviſes
Has præter, cirros, & acutâ cuſpide dumos,
Capreoloſque, piloſque, alios Polydædala in uſus
Effinxit Natura, ſuis bene provida plantis.
Invalidos, juſtæque ſolo Virtutis egentes
Præſidiis caules his juvit, & æqua ſuperbo
Aut auxit cultu, aut telis munivit inermes.
Capreolos (3) Piſis imbellibus addidit, (4) actos
In ſpiram Cirros Hederis, queis glutine ſparſis,
Ceù digitis, volvi circum ſua Robora poſſint,
Atque eadem prenſare manu, atque evadere in altum.
Aſt alios fruticare pilis, horreſcere dumis

Ar-

1 *Multum autem conducit ad fœcunditatem prorogandam ſeminum conſervatio. Cavendum proinde ne humorem nimium bibant, atque inde ſitum, & putredinem contrahant; neve nimium caleſiant, & exareſcant. Nonnulla etiam frigus vehementius urit, & corrumpit.*

2 *Atque hæ partes hactenus enumeratæ rei medicæ apprime utiles ſunt. Aliæ, quæ occurrunt, tanquam auxiliares, & ſecundariæ in alios uſus ſunt à Natura deſtinatæ.*

3 *Capreoles nimirum, ſeù claviculas quoſdam Piſis, Cucurbitæ, aliiſque leguminibus, uti etiam Viti conceſſit, ut iis illa, utpotè infirmiorē caule, tanquam manibus vicinas plantas apprehenderent, & ſeſe circumducto funiculo amplexarentur.*

4 *Hederæ vulgari, uti etiam Canadenſi Quinquefoliæ, Noſtrat.* Vite del Canadà, *cirros quoſdam glutinoſos, vel quaſi manus in digitos diviſas elargita eſt, quibus arboribus, aut parietibus pertinaciter adhæreſcunt.*

Armatos alios caules dedit: Aſpera pompam
Seù ſic quærat, opes ſeù ſic tutetur agreſtes,
Sive ſupervacuum ſic egerat uvida ſuccum.
Sed nos cauliferam jam pubem excuſſimus omnem
Diſſectam in partes. Tempus ſecedere paulùm
Sebethi ad ripas, æſtumque levare ſub umbrâ.

Finis Libri Secundi.



Digitized by Google

BOTANICORUM.

LIBER III.

HActenus herbarum partes, plantiſq;repoſtos
Altius, & viridi ductos ſubtegmine textus.
Nunc ipſas toto juvet inſpectare virentes ,
Aut Caule , aut celſo jam caudice : Quem magis optet
Quæque locum, haud alibi temerè quærenda: Serantur
Quâ ratione, fibraſque trahant alimenta per altas :
Sidere quo veniant, quo florem, aut ſemina trudant,
Nataleſque ſuo diſtinguant munere menſes .
Intactam tentare viam , quam nulla priorum
Orbita trivit adhuc, frondoſa per avia, Clio ,
Perge , ſequar: campis montes ſuperare relictis
Aſcenſu ſedet , ac tumidum luſtrare profundum :
Quin procul utrumque in Solem contendere, metas
Herculeas, Thetidiſque oras Atlantidis ultrà ;
Quaſque metunt medicâ fœtas virtute peruſti
Memnonidæ, Ammericeque avium caput obſita plumis.
Spectare externas utroque in litore fruges .
Nec me præruptæque viæ , longique laboris
Unquam pœniteat, Duce Te , Teque Auſpice , noſtrum
O decus, Ambroſide,fauſto quem gloria paſſu
Uſque præit, meritiſque ambit redimire coronis .
Quiſquis(1) Apollineas ſtudio ſolertior artes
Lætus amas, ſtirpeſque, & pubeſcentia paſſim
Gramina, Naturæque ſinus ſcrutaris agreſtes,
Non unum tere lentus iter, nec florida tantùm
Paſcua , nec tantùm vernantes excute campos .

 Non

1 *De Locis Plantarum Obſervationes.*

Non (1) omnes ſert omnis opes ager, alma neque uno
Germina ſunt contenta loco. Sunt quæ ſibi certum
Aſſeruere, locisque aliis vernare recuſant.
Ne Te cæco igitur deceptum errore viarum
Longus in incertum verſet labor, ante neceſſe eſt
Ediſcas quem præcipuè ſibi quæque præoptet
Planta locum, quo læta ſolo, quibus imperet arvis.
Nanque (2) aliæ campis vernant magis, abdita poſcunt
Aut nemora, aut ſylvas aliæ, vel prata choreis
Nympharum celebrata: Suis hæ caulibus alta
Affectant juga, flumineas vel mollius oras
Pingere amant: campos ſalis illæ, & litora paſſim
Optavere: virent æſtu jactante, propinquis
Aut ſalsâ è ſcopulis undarum aſpergine gaudent.
Aſt aliæ externas alio ſub ſidere terras
Obtinuere: illas aut primo excuſſus Eoo
Lucifer, aut ſero fœcundat lumine Veſper,
Atque peregrinas afflant in pharmaca vires.
Prata (3) tenent (4) Enulæ.(5) Clytie ſata læta, domorum
Rudera, tectorumque minas (6) Polypodion, hortos
Sonchus (7) amat cultos, habiles (8) Lunaria Montes.
Chryſocomeq;(9), Silerq:(10), & olentia(11) Centaurea.
At ſegetes inter paſſim (12) Cyanuſque, comeſque

Cal-

---

1 *Non uno, eodemque in loco plantæ omnes temerè proveniunt: aliæ aliis affectant.*

2 *Sunt enim quæ campis potiſſimùm gaudent, dictæ proinde Campeſtres: Sunt Sylveſtres, quæ Sylvas amant, ac nemora: Sunt Pratenſes in pratis præcipuè frequentiores. Aliæ denique Montanæ, aliæ Aquaticæ, vel Paluſtres, aliæ Submarinæ, vel Maritimæ, aliæ Exoticæ, ac Tranſmarinæ.*

3 *Plurimis Plantarum exemplis præceptio illuſtratur, earumq; præcipua quædam loca exponuntur.*

4 *Ital.* Enula Campana, ò Fior d'Elena. 5 *Ital.* Giraſole. *Hetruſc.* *etiam* Clizia, Elitropia, over Tornaſole. 6 *Aliter Filicula* Ital. Polipodio. 7 *Noſtrat.* Cardillo. *Hetruſc.* Cicerbita. 8 Lunaria. 9 *Aliter Pulegium Montanum. Hetruſc.* Puleggio montano.

10 *Hetruſc.* Silermontano, ò Sileos. 11 *Hetruſc.* Centaurea. *Herba aliter dicta Febrifuga, ſeù Fel terræ.*

12 *Ital.* Fior Campeſe, ò Battiſecula.

Caltha (1) ſubit, denſas inter (2) Serratula ſylvas;
Indigenis nec nuda ſuis dumeta: ſalubri
Carlinâ (3), Rubiâque (4) virent lætiſſima: ſepes
Bupleuris(5),Lupuliſque (6):vias ſibi[7]Carduus optat,
Pulvereoque rigens gaudet ſordeſcere nimbo.
Contrà [8] aliæ aut undis, aut craſsâ uligine lætæ
Fonteſque, vivoſque lacus. & flumina ſtirpes
Concelebrant, ſtagniſque ultrò liquentibus hærent.
Stagna [9] Hippuris habet caudâ præſignis equinâ,
Stagna [10] Chamæleuce, ſtagnis[11]Petaſitis adhæret,
Marrubiumque [12],& odora gravi[13] Pulegia thyrſo.
At nitidos propter rivos, & curva ſecundùm
Flumina (14) Saxifragæ proles ſeſe aurea tollit,
OEnanteq; (15), Siumq; [16], & acutâ fronde [17] Sagittæ,
Editaque hirſuto carpenda [18] Siſymbria caule.
Quid Tibi quæ [19] Nymphæa ſibi loca vendicat, aut quæ
Myriophyllon (20) amat, [21] Phylliti ſque ardua linguam
Cervinam exertans, (22) Lichenq;, (23) nigrumque Adiantum,
Commemorem? vitreis Nymphææ innare fluentis
Eſt amor, & totis penitus ſe mergere lymphis.
Par nandi ſtudium, fluvioſque, lacuſque colendi
Myriophyllon habet. Gaudent humentibus umbris
Phyllitis, Lichenque, udis quà perlita lymphis
Saxa fluunt, putrique ſitu luſtra obſita marcent.
At loca deciduis latè rorantia guttis
Accolit, & fontes Adiantum, heu! triſte Cytheres
Confoſſum ſine more ſuum lugentis Adonin

Ar-

---

1 *Ital.*Fior d'ogni meſe. *Hetruſc.* Fior rancio. 2 Querciuola minore. 3 Carlina, ò Cameleone bianco. 4 Rubbia, ò Eritrodano. 5 *Herba Gallis dicta Gratia Dei. Ital.* Orecchia di Lepre. 6 Lupulo. 7 *Hetruſc.* Cardo, ò Stoppione.

8 *Plantarum Paluſtrium, & Aquaticarum aliquot recenſentur.* 9 *Aliter Equiſetum. Hetruſc.* Coda Cavallina.

10 *Ital.* Tuſſilaggine, Farfara, ò Unghia di Cavallo. 11 *Ital.*Cappellaccio. 12 *Hetruſc.* Marrobbio, ò Praſſio. 13 Puleggio.

14 *Hetruſc.* Saſſifragia à fior d'oro. 15 *Noſtr.* Petroſino ſelvaggio, ò Filipendula. 16 *Noſtrat.* Gorgoleſtro. 17 Saetta aquatica. *Herba ſic dicta à foliorum forma tricuſpide.* 18 Menta Selvaggia. *Hetruſc.* Siſimbrio, o Calamento. 19 Ninfea, ò Nenufar. 20 Millefoglio. 21 Lingua Cervina. 22 *Aliter Muſcus Saxatilis ſeù Hepatica Fontana Hetruſc.* Fegatella, 23. *Hetruſc.* Capelvenere nero.

Argumentum ; illam (1) , nam vulnus ut hauſit acerbum
Dilecti in primis Juvenis , vi dentis adactum
Fulminei , largos oculorum è margine fletus
Evoluiſſe ferunt : trepido ſimul ungue capillos
Diſcerpſit . Divam Tellus miſerata dolentem eſt ;
Nam lacrymis madefacta , ſuas ſimul ipſa repente
Reddidit & lacrymas . Citus ilicet exiluit fons
Inde ſcatens , ſparſique unà viruere nigranti
Luctificum crines teſtati fronde dolorem :
Qui lacrymis ſueti jampridem ; humentia vel nunc
Affectant loca , quæ riguis flent roſcida guttis .
Hinc etiam Veneris dicti nunc ritè Capilli ,
Quos Adiantum alii nigrum vertere vocantes .
Ipſa (2) etiam ſua fluctivago colit æquore Doris
Germina , ramoſis (3) Equiſeta rigentia ſaxis ,
Et par (4) Abrotanum , curvoque (5) Corallia trunco,
Androſacaſque (6) ; Poroſque (7) , petræiſque addita fungis
Ambara (8) , & affines duro ſub Cortice ſtirpes :
Quos pelago innantes olim de more , rigentem
In lapidum faciem vectus ſuper æquora vertit
Anguicomæ Perſeus objectans ora Meduſæ .
Adde tot æquoreas (9) Salices , Quercuſque , Cupreſſoſque ,
Undigenaſque Roſas, (10) Muſcoſque , (11) Mariſque Flabella ,
Tot gracili laté plumata (12) Corallina caule ,
Æquoris Illyrici paſſim fluitantia fundo;
Et varias (13) Algas , & forma diſpare (14) Fucos ,
Alatos , tereteſque , & quo Te carmine dicam ,
Inachiæ Volucris (15) faſtu qui ſuppare pennas.

1 *Fabuloſa Ratio , cur Adiantum , Capillus Veneris dictum , fontes præcipuè affectet .*

2 *Plantæ, quas Botanici Submarinas vocant , enumerantur.*

3 Coda cavallina marina . 4 Abrotano marino . 5 Corallo. 6 *Monſpelienſibus* Umbilico marino. 7 *Marini lapidis genus Corallio affinis , à crebris poris , ſeù foraminibus , quibus pertunditur , dicti.* 8 *Ambar ſiquidem peritioribus maritimus fungus petrans habetur . Ital.* Ambra . 9 Salci , Querce, Cipreſſi, Roſe li mare . 10 *Hetruſc.* Muſco , ò Muſchio marino. 11 *Hetruſc.* Roſta , ò Ventaglio marino . 12 *Officin.* Corallina . 13 *Ital.* Alga , *Hetruſc.* Aliga. 14 Fuco marino.

15 *Peculiaris ſit mentio Fuci marini , Gallo Pavonis pennas referentis in ſcopulis ad Scoticum , ſeù Britannicum Oceanum obſervati , ex Raio t. 1. Hiſt. Plant. p. 75.*

Mentiris, piſtæque refers ſpectacula candæ,
Arietat in ſcopulos quà Tethyos unda Britannos.
Nec vos tranſierim, variis quæ prædita formis
E' ſtratis pelago ſpumoſa in litora nidis
Dilectæ Thetidi Halcyones ſua munera mittunt
Halcyonea, truces maris averſata procellas.
Sunt (1) & caulifero ſtirpes, qui ceſpite poſcunt
Proſpectum pelagi propius, ſalſoque vireſcunt
Lætius afflatu, & pleno magis ubere vernant.
Saxa (2) Chamæfilices, tumidum ſpectantia pontum
Saxa colunt, rupeſque: mari loca proxima, ſepes
Atriplicis ſpecies (3) Halimus, ſuccedit in æquor
Quà Tagus, aut Siculo aſſultant freta pulſa Peloro.
At bibulis gaudet refluum ſub litus arenis
Gnaphalium (4), Spiniſque (5), Kali crinalibus horrens,
Ambroſiæque (6) virens germen, (7) Poliumque, (8) Blitumque,
Et ſolum ſtagnis carpenda (9) Althæa marinis,
Imperat immenſo quà Magna Britannia ponto.
Par (10) Echio Angligenæ ingenium (11), Crithmoque rigenti,
Par (12) Scolymo, cui cognomen Cryſanthemus, oris
Tyrrheni maris aſſiduo, curviſque Pachyni
Litoribus, pontumque audit quo Gallia tractu.
Nec diſpar tibi, ſpicato quæ florida thyrſo
Aſſurgis (13) Rubia; & placidis procul annuis auris,
Per Siculi cautes pelagi, per & Anxuris oras
Æquoreas ſpectanda. Quid hîc aut (14) Piſa marinis
Nata locis, aut Trinacriæ freta propter obortos
Subjiciam (15) Aſtragalos? Anceps eſt nempè quibuſdam
Stirpibus ingenium, glebæ, quæque ubere lætæ
Divitis, & colles, & prata virentia complent,
Sæpè etiam virides pelagi divertere ad undas
Conſuevere, aliiſque habiles jam moribus audent
Herboſæ pubi ſeſe accenſere marinæ,

Et

1 *His alia, quas Maritimas appellant, accenſentur.* 2 Felce Marina. 3 Porcacchia marina. *Hetruſc.* Porcellana Marina. 4 *Hetruſc.* Gnafalio. 5 *Officin.* Erba ſoda: *Aliis* Salzola, ò Salicornia. 6 *Ital.* Ambroſia. 7 Pollo. 8 Blito.

9 *Hetruſc.* Altea, ò Biſmalva, *in paluſtribus maritimis apud Anglos dumtaxat obſervata; teſte eodem Rajo.* 10 *Ital.* Bugloſſa Selvaggia. 11 Finocchio marino. 12 Carcioffo. *Hetruſc.* Gobbo à fior d'oro. 13 *Officin.* Ruggia, ò Rubbia ſpicata. 14 Piſello marino. 15 Aſtragalo marino, *Hetruſc.* Fagiuolo Salvatico.

Et mutare vagâ formoſam Doride Chlorin.
Talem ſe Tibi ſpectandam fata Præſtite Nereo
Soldanella (1) dabit felix Maris accola, Talem
Braſſica (2), Leucoïumque (3), undiſque è dulcibus inſons
Transfuga (4) Plantago, & ſalſæ grata Hoſpita lymphæ:
Atque aliæ id generis paucæ, quæ litora circum
Neptuno viridem norunt tranſcribere ſylvam.
Aſt (5) alios aliæ ſoles, alia arva, virentes
Orbe alio expoſcunt peregrino germine fruges.
Aut illæ Ammerices nemorum per inhoſpita in auras
Spontè ſua veniunt, aut per ſata culta profuſo
Gange, rubeſcenti primum luſtrantur Eoo,
Et primos in blanda bibunt medicamina rores.
Ammericen (6) natale ſolum ſibi luteus Aſter
Vendicat, Ammericen Solis de nomine dictus,
Æmulus & Solis (7) flos inclytus, illius orbem
Orbe ſuo referens, fibris radiatus acutis.
Hîc & Mexiaci patriâ quem voce (8) Cacaum
Agricolæ dixere, frutex lectiſſimus exit,
In peponum faciem fructu pendente beatus,
Unde laboratum medicata in pocula nectar,
Divinum inventum, ſocio quem germine conſors
Luxurians Siliquis (9) Vaginula ſtipat odoris.
Auroræ (10) at latè lucis naſcuntur in altis
Caryophylliferæ (11), felicia Robora, plantæ,
Zingiberiſque (12) frutex (13), Chinæque exotica Radix,
Et (14) Coſtum, & (15) Caſia, & germen benè olentis (15) Amomi
Junctaque odorato (17) Nux dicta Myriſtica (18) Junco,

1 Cauolo marino ò Soldanella. 2 Cauolo. 3 Viola bianca. 4 *Officin.* Piantaggine, ò cinque nervi. *Quæ ſtirpes à num. 1. recenſitæ vocantur* Amphibiæ, *utpotè quæ natura ſua aliis aſſuetæ locis, in maritimis etiam aliquando proveniunt.*

5 *Plantæ exoticæ, ac tranſmarinæ, quæ in utraque India, tàm Occidentali, quàm Orientali præcipuè proveniunt.*

6 *Ital.* Aſtro del Canadà à fior d'oro. 7 Enula, ò fior d'Elena del Perù. 8 *Ital.* Cacao. 9 *Ital.* Vainiglia, *ab Hiſpanico vocabulo.*

10 *Indicæ verò Orientales ſunt, quæ adnectuntur.* 11 *Hetruſc.* Garofano, ò Gherofano aromatico. 12 *Officin.* Zinzivero. *Hetruſc.* Gengiovo. 13 China. 14 Coſto. 15 Caſſia. 16 Amomo. 17 Noce moſcata, 18 *Officin.* Squinante, ò Paglia di Camelo,

Atque (1) Aloë, atque (2) Piper cum Sylvicoma (3) Tamarindo.
Hic (4). etiam clarum fulgentis ab æthere Solis
Averſata jubar, patrio cognomine Triſtis
Planta viret, mirum! cœlo quæ mæſta diurno
Non niſi in obſcuram differt ſua gaudia noctem.
Nam foliis latè, florumque elata comanti
Sub noctem luxu, reduces ubi lætior ortus
Extulerit Titan, extemplo arentibus ipſa
Mæret inops foliis, floreſque aut claudit hiantes,
Aut malè deciduis pompam dimittit odoram.
Nec tantas animo quæ dudum accenderit iras
Cauſa latet. Fuit illa, ſuis ut cognita faſtis,
Nympha Malabaridas inter pulcherrima nymphas,
Ah nimium felix, ſi nullum optaſſet amantem;
Sed formæ fidens Solem auſa laceſſere formâ,
Illius infelix dubios dum provocat ignes,
Igne obiit graviore: ſuus confecit amantem
Heù ſpe caſſus Amor: Votis dejecta ſequentem
Ut Nymphæ alterius vidit veſtigia Solem,
Ut periit! Lucis tædet, ſe ſeque ſub ipſa
Luce, ſuæque pudet cœlo ſpectare ſereno
Contemptorem animæ, formæque: ſtat illius ultrò
Aſpectu miſeram ſeſe ſubducere ferro.
Nec mora, crudele exequitur devicta dolore
Conſilium: ſtricto rumpit candentia telo
Pectora, contemptoſque furens ſic mulctat amores.
Labitur exanimis, lucemque, auraſque relinquens
Conſpectum Solis fugit indignata ſub umbras.
Illam Indi auriferi fluctus, Gangetides illam
Fleverunt Comites, flevit rorantibus excors
Luciferis oblita ſuum jam Memnona Mater.
Quin operâ ejuſdem, flamma poſtquam excitus illam
Impoſitam Rogus in Cineres de more reſolvit,
Funereo è buſto, comploratæque favillâ,
Nata memor planta eſt, ramis quæ poſthuma dudum
Concepta in Solem vel nunc odia aſpera ſervat;
Nam viridi luxu exultans, & florida noctu,
Solis ad aſpectum languet, florumque coërcens
Lætitiam, eluſos quondam teſtatur amores.

Sed

1 Aloè. 2 Pepe. 3 Tamarindo.
4 *Peculiaris fit mentio Arboris apud Malabaricos, quam Triſtem appellant, quæ deſcribitur, & fabula illuſtratur.*

Sed licet (1) Arboribus diviſæ, & frugibus almis
Obtigerint patriæ, nec ſit mos omnibus idem,
Arte tamen poſitos haud dedignantur in hortos
Transferri, cultumque pati, curamque magiſtram.
Excipe (2) quos imo exortes Neptunia fundo
Arua tenent frutices, paucoſque Atlante remotos
Extremo procul Orbe ferax quos India mittit;
Haud ulla Europæ glebis qui pinguibus unquam,
Seù cœli, ſeù lenta Soli Natura repugnet,
Arte ſeri potuere: aliis hos pangere terris,
Quàm ſibi Natales quas primo habuere ſub ortu,
Deſperes: unis, æquo quas aſpicit aſtro
Cynthius, externis illos progignier oris
Sorte datum. (3) Laudata ſuis fert ſola viretis
Cinnama Taprobane (4) Soli Rhabarbara Seres,
Sola Malabaridum (5) triſti viret arbore Tellus.
Non ità verò aliis noſtrâ tellure ſerendis
Indocile ingenium: (6) noſtris quoque ſæpè profecti
Orbe alio inſuetas arvis defigere norunt
Radices, mitique hilares aſſueſcere cœlo.
Nonne vides Pervês ut vecta è ditibus arvis,
Auſonii Veris jam Civis reddita, jam Stirps,
Florentem (7) Solymen noſtris quoque pingat in agris
Granadilla? parique ſatu ſuccreſcat (8) Ananas,
Et ramoſa humili quæ caule exultat (9) Iberis?

Il-

1 *Quamvis autem planta pro ſuo quaque ingenio peculiarem aliquem ſibi locum affectent, nec temerè alibi ſpontè ſua orta reperiantur; illarum tamen pleraque culturam admittunt, & in hortis cura adhibita educari non abnuunt.*

2 *Excipiuntur ſubmarina omnes, quæ alibi, præterquam in maris fundo, nec vivunt, nec durant, & Indica aliquot Orientales.*

3 *Siquidem Cinnamomi Arbor, Hetruſc.* Cannella, Cennamo, ò Cinnamo, *nonniſi in Taprobane, vulgò* Ceylan, *laudatiſſima provenit.* 4 *Rhabarbarum, Officin.* Reobarbaro, *Hetruſc.* Rabarbaro, *nonniſi in interiori Sinarum regione.* 5 *Arbor triſtis apud Malabaras dumtaxat reperitur; ut enim teſtatur Acoſta, in Luſitaniam tranſlata neutiquam coaluit.*

6 *Frequentiſſime verò Indicæ etiã, & exoticæ ſtirpes Europæo cælo, ſoloque aſſueſcere non recuſant; ut aliquarum exemplo comprobatur.* 7 *Ital.* Granadiglia, ò fior di Paſſione. 8 *Ital.* Ananas. 9 *Ital.* Iberide, ò Lepidio campeſtre. *Aliis* Caradmina.

Ille licet Braſilûm vaſtis in ſaltibus, iſthæc
Virginiæ generis cunabula jactet in oris.
An non (1) ipſa ſuis tranſcripſit Gallia campis
Indica (2) puniceo, flavo (3) Sinenſia flore,
Et quæ pleno (4) Arabes, & quæ dat (5) Ianthina Perſes,
Gelſimina, alioque abductum (6) Zinziber orbe,
Atque Aſarum (7) Canadenſe, Americanumque (8) Adiantum?
An non hoc totâ Europâ jam more recepto
Jamaicæ jàm nunc, alioque à Sole calentis
Virginiæ ſtirpes felix colit Anglia? Quidquid
Indus alit, Libyeque, ſuperba Hollandia, Crete,
Et Peluſiaci quicquid fert ora Canopi
Barbara (9), Corneliis ſtupuit quondam Adria ſeptis?
Non (10) his ergò tuus patrio privabitur Hortus
Rure virens, herbis ſi quis tibi vernet alendis
Pæoniis Hortus: lectas huc undique fruges
Omnigenas, quaſque alma ſuis Aurora roſetis,
Quaſque ſuis America jugis, aut gurgite nutrit
Amnis Amazonio, facili deducere cultu
Juverit, & varios Herbarum hinc diſcere mores.
Haud unquam tantam meritis mercabere laudem,
Quanta Botanifero veniet, nec vilis, ab Horto.
Tercentum molita Tubas utrumque ſub axem
Fama tuum ſublime feret ſuper æthera nomen.
Hic decet & Magnos Reges labor. Aſpice, toto
Quà centum latè Populis, centum inclyta regnis
Europa excurrit frugum ditiſſima tractu,
Herbarum ut paſſim ſtudio, & pubentibus Hortis
Floreat, & merito exornet ſata Regia cultu.

Hic

---

1 *Sic à Turnefortio audantur exculta Belgenſerii in Gallia memorata ſtirpes exotica.* 2 Gelſomino Indiano à fior roſſo. 3 Cineſe à fior giallo. 4 Arabico a fior doppio. 5 Perſiano à fior violato. 6 Zinzivero, *Hetruſc.* Gengiovo. 7 Aſaro del Canadà. 8 *Hetr.* Capelvenere Americano.

9 *Ab eodem Turnefortio, Venetils in Hortum Cornelii, qui Cypri præfecturam geſsit, translata memorantur rariora, & pulchriora ex Creta, Alexandria, aliiſque regionibus.*

(10) *Hac occaſione Hortorum Botanicorum cura commendatur; & celebriores tota Europa Honoris cauſa commemorantur.*

Hic Heidelbergæ (1) Necari molliſſima propter
Arva, vel Altorfi, placidus quà ſerpit amicis
Mænus aquis, ſua Pæoniis ſata culta viretis,
Nequicquam indignante Helice, Germania promit:
Queis (2) ſua conſociat clari ſub jure Lovani
Belgica quæ patrio cuſtodit Terra Leone.
Haud (3) procul hinc vaſto aſſurgens circumflua ponto
Anglia, Londinum quæ fert, Regnique lycæum
Oxonium, oſtentat: Medicas ſpectabilis æquè
Seù colat ingenio, terræ ſeù munere fruges.
Et (4) ſua regifico jactat vernantia luxu
Gallia, Naturam ceù blandè affectet in ipſam
Imperium, ſua ſubjectis dum dividit herbis
Jura, Pariſiacis & lilia præficit arvis.
Nec minor (5) aut illis laus eſt, quos inclyta ſeptem
Urbs elata jugis præ tot florentibus arte
Dædaleâ, & Regum fortunam æquantibus, Hortos
Pæonios ſibi præcipuè colit altior, aut quos
Fernandi Magni auſpiciis (6), cenſuque beatos
Explicat apricis felix Hetruria Piſis,
Phœbæoſque fovens Medicæâ amplectitur umbrâ.
Quis Te (7), quis tacitum, latis quem collibus aſtâ
Vernantem Euganeis clara Urbs Antenoris offert,
Medoäcuſque ſacrum plaudenti interluit æſtu,

Præ-

---

1 *Horti Botanici in Germania, Heidelbergenſis in Palatinatu inferiori, & Altorfinus in Franconia, ubi etiam celebratur ille magno ſumptu poſitus ab Illuſtriſs. Epiſcopo Aichſtadenſi Jo: Corrado à Gemmingen.*

2 *Hortus publicus Lovanienſis in Belgio.*

3 *Horti in Britannia, Londinenſis præcipuè, & Oxonienſis ære publico poſitus.*

3 *Horti in Gallia, Regius Pariſienſis laudatus in primis; cui accedunt Monſpelienſis juſſu Henrici IV. conſtitutus; & Bleſenſis rarioribus plantis ditatus ſtudio Sereniſſ. Principis Gaſtonis Borbonij Aurelianenſium Ducis.*

5 *Horti in Italia. Romanus plurimùm illuſtratus opera peritiſſimi Jo: Baptiſtæ Triumphetti.*

6 *Piſanus regiis ſumptibus Magni Hetruriæ Ducis, cui primùm præfectus præclariſſimus Botanophilus Andreas Cæſalpinus.*

7 *Patavinus ſumma Veneti Senatus laude ære publico conſtitutus ad ſtudioſos Medicinæ in Re Herbaria erudiendos.*

Præteream ? (1) Teque ò qui luxu haud impare vernas ,
Maurocenæ ingens Gentis decus , Adria toto
Quem magnis regnatus avis colit æquore ſupplex ,
Atque Cleonæo major Leo ſoſpitat aſtro ?
Nec Te (2) illaudatum linquam quem Felſina , nec Te
Boſchia^dæ excultum ſtudio quem Principis Hortum
Lætior Ennæis præfert Trinacria campis.
Vos quoque,(3) vos largo quæ clara Batavia ſumptu
Educat , ingenioque potens tutatur , & armis ,
Floretis meritæ in plauſus Viridaria Famæ .
  Sed neque Apollinei ſua quæ miracula ruris
Mænus alit, Tameſiſque , tumens aut Sequana, certent ,
Parthenope (4) formoſa, Tuo,nec quæ æmulus effert
Adria , frugiferis aut prænatat Arnus arenis.
Rus hoc non aditu (5) , foribuſque inſigne ſuperbis
Veſtibulum , aut phrygiis interdiſtincta Columnis
Atria ditavere ; notis lucentia miris ;
Dædala nec tonſa vallant Topiaria buxo.
Sed Medicæ fruges , & amæni Copia Veris
Ornavere : tenet ſimplex , & parca Venuſtas.
Hinc exculta Salus campis ſeſe utilis effert .
Hic Stirpes , Medea , tui , quæſitaque longe
Gramina , queis morbis confecta , anniſque priores
Lætior in florem redeat renovata ſenectus .
Hic Arabum Meſſes , alieno & quicquid ab Orbe
Aut Perue mittit peregrinum , aut mittit Eous.
At Frutices abſunt triſtes , & noxia tactu
Semina , nec ſævis livent Aconita Novercis.
Nec ſerpit plebeja ſeges per humum , neque tanto

Textilis.

1 *Cum quo alter ibidem poſitus [illegible] Mauroceni generis illuſtre monumentum.*

2 *Bononienſis , & Siculus , cura Excellentiſsimi Principis Catholicæ inſignis in paucis .*

3 *Horti in Hollandia , Lugdunenſis , & Amſtelodamenſis cum primis commendatiſsimi.*

4 *Hortus Botanicus Parthenopæus in Capimontano Collegii Neapolitani S. J. Rure ſitus .*

5 *Hæc omnia hyperbolicè , ac per poëticum quendam luſum dicta accipe in gratiam Dominici De Amato ejuſdem Collegii Pharmacopolæ, Horti prædicti Inſtauratoris , quibus nihil detractum volumus Hortorum maxime Regiorum laudibus , quos huic Parthenopæo infinitis propè partibus anteſtare ultrò non diffitemur.*

Textilis in Sylvam tractu ſe potrahit umbra.
Adde loci cultum egregium, formamque per artem
In rata ſimplicibus ſectam diſcrimina quadris,
Germinaque obductos circum pubentia muros.
An cava collectas memorem ſervantia lymphas
Stagna lacu vitreo? Tubulis an jugibus indè
Deductas, ſeù quà medio fons æſtuat horto,
Seù rigat artifici ſtirpes quà plurima cono
Pyramis, & ſparſos ſitientibus erogat imbres?
Anne ſitum memorem cœlo vernantis aprico,
Piniferum caput attollens quà mollius almæ
Sirenum patriæ frondente ſupercilio Mons
Imminet, & tepidum vergit declivis ad Auſtrum?
Hæc (1) eadem feſſis ſedes læta otia Muſis
Sufficit, & vires reparat ceſſantibus ægras:
Hæc & mixta jocis, doctis & plauſibus audit
Jurgia, proſpectuque animos, & lumina paſcit.
Salve (2) Agapetiadæ Tellus amor, & decus ingens
Parthenopæ. Tibi Pæoniæ rem laudis, & uſus
Ingredior, primam hanc auſus decerpere laurum,
Phœbæamque ſuo do Sylvam aſſurgere Phœbo.
Hinc (3) Tibi par Horti ſpecies, par forma petatur,
Si quis honos artis, ſi Res Herbaria curæ.
Quod ſi Te bello aſſuetum, & pugnacibus armis
Caſtra juvent, acieſq; & fervida Martis imago,
Ipſe Jugurthino clarus, Cimbroque triumpho
Herboſi nemoris plantandi, Hortique virentis
Belligerum Marius ſpecimen dabit: Ille peractis
Inclytus imperijs, veteris quò lumina belli
Falleret objectu, ſenio jam feſſus apricam
Caſtrorum in ſpeciem juſſit deſcribier hortum,
Quà caput Euboicis tollit Miſenus in oris.
Stabat Caſtrenſis ritu quadrata latino
Area, quam circum valido munimine ductæ
Cingebant alto viridantes aggere foſſæ.
Nec deerat qui loricas ſimularet agreſtes,

1 *Iſtuc quotthebdomadis Collegij Neap. Juniores ſecedere ſolent animi cauſa.*

2 *Suprà laudatus Dominicus de Amato Rei Herbariæ ſcientiſſimus explicatur.*

3 *Horti à C. Mario in Miſenenſi olim poſiti, ſed, ut loquitur Plinius, peritia Caſtrametandi, deſcriptio.*

Altaque præferret qui propugnacula (1) Buxus.
Pro vallo foliis horrens (2) Paliurus acutis
Surgebat, dumiſque rigens Sylveſtris (3) Acanthus,
Idæuſque, (4) Rubus, (5) Ruſcique,(6) Halimique propago.
In medio ſectoſque foros, atque herbida caſtra
Cernere erat; vaſti fœtos nec dentibus Hydri
Jam galeis aliis, aliis haſtilibus ultrò
Florere, & viridi pubeſcere milite ſulcos.
Hæc inter miro latè præſtantia luxu,
Phyllireâ (7), Myrthoque (8), & purpurea (9) Rhododaphne
Vernabant elata Ducis Tentoria, cultrix
Pingebat quæ læta ſatu Zephyritis amæno.
Ipſe renidentum blandè metata recurſans
Caſtrorum ſimulacra, ſuas revireſcere lauros
Inde jubebat ovans jam Dux umbratilis, & ſe
Tum meliùs culti paſcebat imagine belli.
Sed (10) quid ego hæc autem? non his calcaribus iſthæc
Res eget, eſt Regum quando nunc iſta potentum
Gloria Pæoniis ſeſe oblectare viretis,
Regalemque manum regalibus addere ſeptis.
Nec Te fas talem cunctando ſpernere cultum
Noſcendi teneat ſi rerum arcana Cupido.
Non parva hinc operis merces exiſtet, & ipſum
Te non pauca uſu Rerum Natura docebit.
Scilicet (11) hinc diſces, cur hic gentilia ſtirpes
Munia, maternaſque notas, & ſymbola ſervent,
Degenerent alibi, & mores cum nomine mutent.
Queis cœli aſpectus, Terræque haud æqua reſiſtit
Temperies, illas felici educere cultu
Expectes Herbas nequicquam: ex parte neceſſe eſt
Deficiant aliquâ, & votis audacibus obſtent.

Sic

1 *Hetruſc.* Buſſo, ò Boſſo, 2 *Ital.* Agrifoglio, ò Aquifoglio. 3 Brancorſina Salvatica. 4 *Ital.* Rovo Ideo, ò Rovo Angelico. 6. Mirto Selvaggio. 6 Specie di Porcacchia. 7 Fillirea. 9 Mirto, ò Morzella. 9. Oleandro, ò Rododafne.

10 *Potiſſimum ſubditur calcar in Rei Herbaria ſtudium, exactior Naturæ cognitio.*

11 *Scilicet hinc diſcimus primùm, cur plantarum pleraque aliò tranſlata degenerent. Hujuſce autem rei in cauſa eſt vel non æquus cæli aſpectus, vel non æquum ſoli ingenium.*

Sic (1) ſua barbaricis Aſter qui luteus oris
Virginiæ generis debet primordia , noſtro
Sub cœlo Europæ pingues traductus in agros ,
Florentes detrectat opes exponere , multo
Jampridem niſi Sole rubens exarſerit æſtas ,
Nec niſi folliculis ſemen tibi reddet avaris .
Sic (2) Polii ſtirps alma locis aſſueta Marinis
Et Maris , & Solis nimios florere per æſtus ,
Areolis excepta , ſuo jam degener albo
Deſciſcit , frondeſque novo ſibi margine laxat .
Quid (3) Tibi purpureo ſubdam vernantia flore
Alpinis Aconita jugis ? imbuta venenis
Illa , manu cultis ſi fortè adſcripſeris hortis ,
Haud mora, Cerbereâ multùm de tabe remittent ,
Atque tuis referent ſe penè innoxia pratis .
Scilicet (4) indomitas cogit manſueſcere fruges
Mitius arvorum ingenium , cultuque coërcet
Sylveſtres animos , moreſque emendat avitos .
Teſtes externis pridem quæ noxia ſylvis,
Nunc (5) Argentinis auro lita Præcoqua campis
Proveniunt , menſis gratiſſima dona ſecundis .
Hæc (6) eadem aſpectu varium miracula cœlum
Sæpè dabit , plantaſq; ſuo de more refinget .

1 *Hinc eſt , cur Aſter Virgineus luteus , ſeù Chryſanthemum Canadenſe bidens , ut petè Virginia indigena , apud nos ſeriùs floreat, nec niſi calida tempeſtate præcedente, ſemenque rarè perficiat .*

2 *Hinc etiam eſt , cur Polium Marinis aſſuetum locis , atque æſtate florens , cultum valdè degeneret , minus candidum evadat , foliaque reddantur latiora .*

3 *Maximè verò id comprobatur in Napello, ſeù Aconito Magno, purpureo flore , quod in Alpinis jugis nutritum vires valdè noxias habet , delatum verò in Hortos miteſcit. Quamvis ne hujus quidem vires experiri ſe velle aſſerat Rajus .*

4 *Nimirum noxiæ plantæ mitiori arvorum ingenio ſæpè demitigantur, ac virus exuunt avitum ; ut Præcoquorum exemplo liquet.*

5 *Oppidum innuitur ad ſexdecim paſſuum millia Neapoli diſtans , quod Argentum , vel Argentium latinè dicitur, vulgò* Arienzo ; *ubi Præcoqua proveniunt laudatiſſima .*

6 *Sæpè portenta hæc in plantis eveniunt ab uno mutato cœli aſpectu . Sic Aconita, & Cicuta, quæ in Montibus Pyrenæis meridiem verſus venenata ſunt , ſi Septemtrionem verſus tranſplantentur, humidis in locis necandi vim omnem amittunt,*

Quæ nuper memorata ſuis Aconita Pyrene
Cautibus educit, quà parte obvertitur Auſtro,
Dextrà iterum relegas ; ſtygio ſata felle Trifaucis
Deprendes Canis ; aſt eadem ſtagnantibus arvis
Si mandes , gelidam Tellus quà proſpicit Arcton ,
Virus Echidnæi ſenſim dediſcere monſtri
Aſpicies , tabemq; omnem vomuiſſe Pheræam ,
Quippè ſatum ſpumâ quondam illætabile germen
Cerbereâ , amittit vires , ni mollior Auſter
Excitet , humentiq ; rigens tabum eliquet aurâ .
Haud (1) multùm abludit , Chryſæ quæ divitis altos
Per lucos , per & arva , ſatu ſpectanda biformi,
Planta viret , cæliq; haurit de munere vires ;
Namque ſolo patrium placito ſi ſpectet Eoum ;
Ilicet aſſurgens aſpectu læta ſalubres
Explicat & frondes , & miti cortice fructus .
At contra vireat ſi Phœbo obverſa cadenti,
Inſtantemq; rotis , mergentemq; æquore currus
Proſpiciat , caſum velut indignata paterni
Sideris , affuſo ſenſim folia omnia tabo
Inficit, & fructus , fœtuq; illudit acerbo .
Uſque adeo ſua cum patrio ſunt fœdera Phœbo
Stirpibus , & cæli ingenium , moreſq; ſequuntur .
Hæc (2) præter majora dabunt ſe monſtra legenti
Obſervanda , tuoq; ſtupens ſpectabis in horto
Pubentes Nymphæ quondam Titanidis artes.
Sæpè etenim affinem mentitum germine formam
In ſpecies alias vario mutabile fœtu
Semen aberrabit , (3) foliis & ſtabit apertis
Braſſica , cognato ſteterat quæ florida thyrſo .
Sæpè etiam (4) vulgaris erit Tibi Primula, prati
Lutea vel ſoboles inodoro ingloria flore ,
Semine quæ Veris fuerat jam Primula major .

Seù

---

1 *Huc facit , quod de Planta quadam Malacenſi apud Indos memorat Solin. p.36. quæ folia , & fructus ſalubres habet , ſi Orientem ſpectet Solem ; noxios verò , ac virulentos , ſi Occidentem .*

2 *Illud etiam è Botanica ſtudio diſcimus* Plantas *nonnullas interdum in alias ſpecies aberrare .*

3 Sic *ſæpè obſervatur è ſemine Braſsica Florida Botrytis Noſtrat.* Cauolo-fiore *enaſcens Braſsica longifolia aperta. Noſtrat.* Broccolone .

4 *E ſemine Primula Veris majoris exiſtens Primula vulgaris, aut Primula pratenſis inodora .*

Seù varium id Terræ ingenium, ſeù ſeminis ægri,
Vis effœta ferat (1), ſeù ſit conceſſa poteſtas
Ejuſdem generis plantis, quæ pervia ſæpè
Cognatam ſeſe in faciem, cultumque propinquum
Induat, atque aliâ ſpem formâ eludat agreſtem.
Non ſemel hinc alti medio ſub ſidere Cancri
Meſſor avenaceis ſtupuit turgeſcere granis
Culmum, triticeis qui jam flavebat ariſtis,
Hordeaque immixto nigreſcere viſa (2) Secale.
Quid? quod ſunt (3) bulbo qui ſe teſtentur eodem,
Haudquaquàm mutatâ arvi genitabilis alvo,
Unde (4) Crocus primùm extiterat, legiſſe recuſis
Gladiolum (5) foliis, (6) Hyacinthum ſuavè rubentem,
Leucoii de ſtirpe, ſatuq; in germina rurſum
Alternante, vicem cultu revocaſſe priorem.
Interdum (7) pingui Terræ de munere flores
Anguſtum pridem Calycem, & vix ſimplice cultu
Contentum, luxu foliorum implere comanti
Aſpicies, partuque ſinus laxare tumentes.
Sic alia ex aliis ſtudio translatus agreſti
In loca non ſemel exiguas jam largior auxit
Caryophyllus (8) opes: Nemorum ſic germina cultis
Conſita pulvillis (9) Anemone, & (10) Colchica crines

Ple-

---

1 *Hac autem ſpecierum tranſmutatio in plantis nonniſi inter affines, & ejuſdem generis contingit. Hinc mirum non eſt, quod aliquando in Spica Tritici Albi tria, aut quatuor grana Avenacea obſervata ſint omni ex parte perfecta; & in ſpicis aliis Hordeum ſimul, & Secale.* 2. *Noſtrat.* Germano. *Hetruſc.* Segala, ò Segola.

3 *Addit tamen eruditiſsimus Sharrocus de Propag. Plantarum c. 1. n. 4. plantas nonnullas bulboſas diuturniore mora in eodem loco mirabili ſanè metamorphoſi in alias ſpecies degeneraſſe; Crocum ex. gr.* 4. Ital. Croco, ò Zaffarano *in Gladiolum.* 5. *Ital.* Spadella. Iride di Primavera. *Hetruſc.* Ghiaggivolo. 6 *Leucoium. Ital.* Viola bianca, *in Hyacinthum,* Ital. Giacinto, *& vice verſa. Quod tamen Rajus ne jurato quidem crederet.*

7 *Compertum illud etiam floribus ex crebra hac in alia ex aliis loca tranſlatione evenire, ut ſapè è ſimplicibus in plenos, ac multiplices evadant: uti de Caryophyllis auctor eſt Laurembergius, & de Anemonis nemorum, & Colchicis teſtatur Sharrocus.*

8 *Ital.* Garofalo, ò Garofano. 9 *Noſtrat.* Anemola. 10 Ermodattilo, Specie di Tulipano, ò di Narciſſo Autunnale. *Alii* Zaffarano Selvaggio.

Pleniùs explicuere : (1) novæ decus addidit ollis
Fertilitas glebæ, & formæ blandita moranti eſt.
Multum nempè ſoli ingenium, & clementia cœli
Arva (2) juvant, nec fruſtrà alto ſol ſplendet ab axe ;
Sicubi jam felix, & fertilis ubere glebæ
In medium Solem, & tepidum proſpectet in Auſtrum ;
Illa Tibi Tellus Terris magis omnibus una
Herbarum dives cenſu exultabit agreſti
Lætior, & viridem latè diffundet honorem ;
Non (3) illi certent gelidum damnata ſub axem
Arva, Caledoniis nunquam non cana pruinis.
Largior hic ſeges, & numero cumulatior omni.
Quin (4) quæ vix Fruticum Riphæis conſita campis
Excedunt virgulta modum, producta tepenti
Sub cœlo arboream in molem felicibus umbris
Aſſurgunt, ventoſque ſtatu, & vaga nubila vincunt ;
Quæque humili Herbarum cenſentur germina laude,
Vi Brumæ contracta, altos ſub mitibus auris
In Frutices abiere ; nec ultrà imbellis in altum
Eſt Althæa (5) ſuos mirata evadere Ramos,
Et crebris (6) Scabioſa pilis, & ceſpite Majus
Uſque (7) Sedum vivax, & (8) Malva, & caudice tandem
Ipſe ſui vix lactis egens (9) Tithymalus adulto.
Mite (10) ſolum, mites auras optate tenellis

Spir-

1 *Plurimùm verò ad id conduxiſſe putatur Soli ubertas, & opulentia.*

2 *Multùm nimirum educendis feliciter plantis confert uber Soli ingeniũ, & Cæli clementia. Hinc obſervatum, què propius ad Meridiem acce-das, eò plures plantarum ſpecies deprehendi.*

3 *Quamvis enim Regiones frigidæ, & Septentrionales ſuas quoque pe-culiares ſtirpes obtineant, pauciſsimæ tamen eæ ſunt, ſi cum illis com-ponantur, quæ in Temperatis, & Calidioribus proveniunt.*

4 *Quin plantarum plures, quæ frigidis in Regionibus Fruticum modum non excedunt, in Calidioribus Arborum Staturam, & Magnitudinem aſſequuntur: quæque illic nonniſi Herbæ ſunt, hic etiam in Frutices abeunt; ut in ijs, quæ recenſentur, compertum.*

5 *Hetruſc.* Altea, ò Biſmalva. 6 *Ital.* Scabbioſa. 7 Semprevivo Maggiore. 8 Malva. 9 Titimalo, ò Titimaglio.

10 *Quantumvis verò Bruma obſit Herbarum viretis, obſervatum tamen Montes excelſos, quorum vertices maximam anni partem nivibus ope-riuntur, uti ſunt Alpes, & Nicates Mons in Samnio, vulgò* Majella, *herbarum copia, & varietate affluentiùs abundare; eaſque ibi omnium ſui generis ferè maximas eſſe, & flores pulcherrimos edere.*

Stirpibus, at contrà immitem defendite brumam;
Agricolæ: plantis jam pubeſcentibus algens
Bruma gravis, nocet herboſis pigra bruma viretis.
Quanquam nubiferas vernant quæ læta per Alpes,
Quæque Machaoniis Nicæen frugibus umbrant,
E nivibus, longos canent quibus obſita menſes,
Incrementa (1) ferunt majora: haud ullibi ſtirpes
Luxuriant magis, & cenſu ſe divite fundunt.
Herbarum uberior vis hic, & didita plures
In ſpecies, hic majori ſe germine Caules
Puberibus tollunt foliis, & flore renident
Splendidiore: nives animos, vireſque miniſtrant;
Seù ſibi ſubjectas alto velut aggere ſtirpes
Tutentur Boreæ contrà, Brumæque furores;
Seù, quo ritè ſcatent, fuſo ſata pinguia nitro
Fæcundent, glebaſque ſoluto humore maritent.
Hinc vix afflatu Zephyrorum, & Solibus ictæ
Diſperiere, ſubit partu cùm præcoce pubes
Herbida, & extemplo fruticans juga meſſis inumbrat.
  Jam vero (2) has ipſas quæ ſit Tibi forma ſerendi,
Quæve propagandi plantas edicere tempus,
Non una Arboribus, teneris non una creandis
Eſt plantis Natura; (3) aliæ nam ſponte vireſcunt,
Nullo hominum cogente; (4) ſuo de ſemine ſurgunt
Aſt aliæ, & lætas veniunt in luminis auras.
Sunt (5) quæ ſubmiſſis reptanti è Caule flagellis
Multiplicant ſeſe: regnata per arva procurrunt
Illa, noviſque ſolo jactis Radicibus hærent,
Sub nodos nova ſubjectis ad munera fibris:
Tempore quæ tandem, paulatim arentibus ipſis

Fu-

1 *Id autem nivibus ipſis tribuendum; ſive quòd nix, tanquam operculum quoddam radices foveat, & ab injurijs cœli, & frigoris vehementioris defendat; ſive quod Sale nitroſo, quo abundare creditur, terram latius fæcundet.*

2 *Jamvero quod ad ſationem, & propagationem plantarum attinet, varijs id modis contingit.*

3 *Alia ſiquidem ſponte naſcuntur.*

4 *Alia è ſemine, ut planum cuique eſt.*

5 *Alia flagellis, ceù funiculis emiſſis, reptantibus, atque ad nodos radices ſubinde agentibus, & ſurſum germinantibus: quæ germina, cum invaleſcunt, funiculis areſcentibus, à Matribus ſuis ſponte ſeparantur, & nova planta fiunt; ut in memoratis cernere licet.*

Funiculis, primâ diſiuncta è Matre reſidunt
Altera jam, juriſque ſui, cenſuque comantem
Longè alio ſubigunt diſcreta in germina ſtirpem.
Tale Tibi ſpecimen ſerpens (1) Fragaria, Tale
Quinque dabit Folium (2), quique ex Atlante remoto
Devectus noſtris floret (3) Ranunculus oris.
Pullulat (4) ab radice aliis numeroſa propago,
Seque ſub ingenti Matris nunc ſubjicit umbrâ
Virgarum in ſpeciem creſcens, innupta propagat
Quo ſeſe Laurus ritu; nunc edita gemmis
Diditur, aut bulbis, ſive hi Radicis ab imo,
Seù fibris repetant è turgeſcentibus ortum:
Ut pictis Tulipis, & Purpureo Narciſſo
Evenit. (5) Interdum ſe ſubnaſcentibus effert
Tuberibus parvis aliis, queis ſæpè tepentem
Subter humum reptans Radix tranſverſa tumeſcit.
Ut Crocus, & Solis dictus Flos nomine prodit.
Hos præter(6)Natura alios quoque protulit uſu
Explorata modos, proprium queis (7) Indica Ficus
Protendit genus, & certâ notâ (8)Allia ſtirpe,
Atque (9) Chelidonii Soboles minor, atque Camænâ
Nobile Mæonia (10) Moly, & quæ Caudicis expers
Turrito in cœlum ſe tollit (11) Opuntia crine.
Namque (12) hæc depacto terris deducit ab uno
Sæpè genus folio; bulbo de Traduce (13) Moly,
Fronde ſuper ſummâ bulbo excreſcente; Minoris
Fœta (14) Chelidonii parvo de Tubere ſtirpes

Imo-

1 *Ital.* Erba, che genera le fragole. 2 Cinquefoglio. 3 Ranunculo, ò piè corvino.

4 *Aliâ Sobole educta, vel ex Radice ſub terra reptante, in ſurculi, ſeù Virga ſpeciem eſſurgente, quæ Stolo, vel Viviradix dicitur; Vel è Radicis fundo exeunte, in gemmæ formam; Vel è fibra craſsiore in bulbum extuberante, ut in Tulipa, Narciſſo, aliiſque Bulboſis contingit.*

5 *Vel demùm è Radicum Tuberibus in iis, quæ Radicibus ſunt Tuberoſis.*

6 *Sunt & alii quidam peculiares modi, quibus plantæ nonnullæ ſe propagant.*

7 Fico d'India. 8 Specie d'Agli. 9 *Ital.* Celidonia minore. *Hetruſc.* Favagello. 10 Aglio Selvaggio. 11 *Ital.* Opunzia. *ab Opunte urbe appellata, circa quam frequens naſcitur. Aliis* Fico d'India minima.

12 *Hæc ſiquidem ſuis humi depactis foliis genus propagat ſuum.*

13 *Moly Homericum dictum, bulbo in ſummo folio excreſcente.*

14 *Chelidonium minus, tuberibus in alis imorum foliorum ortis.*

Imorum foliorum altis naſcente ſub alis;
E'ſpicis ſummo confertim in Caule creatis
Allia jam memorata (1); uſtis ſed nomen ab Indis
Quæ ducit (2) Ficus, lento de glutine gummi
Altiùs è ramis longæ ſub imagine reſtis
Demiſſo in terram, & Matris reparante ruinas.
Lacryma ſic gravido lenteſcens roſcida lapſu
Arva ſubit, riſuq; novos revireſcit in ortus.
Hoc etiam fœcunda modo ſe læta propagant
Lilia, (Naturæ perhibet ſi vera vetuſtus
Interpres) guttiſq; ſuis rorata feruntur.
Has lacrymis vires, hunc fertilitatis honorem,
Ut fama eſt, ipſe ignoſcens indulſit Apollo;
Nam poſtquam jaculis numeroſâ prole ſuperbam
Orbavit Nioben, meritoſq; exercuit arcus,
Spretam ultus Matrem, geminatâ à cæde rigentem
Tantalin in marmor, gelidoq; è marmore fletus
Voluentem ut vidit, fatum, lacrymabile fatum
Tum demum miſerans idem Pater æquus, & ultor
Haud imbres paſſus triſtes areſcere; & ultrò,
Ah! ſui in exitium fœcundæ funera quando
Proſequitur Matris lacryma hæc, fœcunda ſuperſit
Ipſa ſibi ſaltem, dixit; ſibi ſuppleat almas
Germinis ipſa vices, vitamq; è funere ducat.
Vix ea, cum riguæ viſæ concreſcere guttæ
Ilicet, inq; novum redivivæ erumpere caulem:
Craſſior hæc foliis, peregrino & barbara cultu
Horruit in Ficum fruticans; illa hiſcere viſa
Albentem in Calycem thyrſo viridante recluſum,
E quibus emanans etiamnum lacryma vitam
Ipſa ſibi ſerit, & generis diſpendia ſupplet.
An (3) referam quæ monſtra ullis haud cognita ſeclis
Fert nova barbaricis vernans Hiſpania terris?
Hic qua terra Indo felix cultore cadentes
Spectat Solis equos, lapſumq; ſub æquora ſentit;

1 *Certa quædam Alliorum genera, bulbulis, ſeù ſpicis in ſummo caule confertim enaſcentibus.*

2 *Ficus demum Indica, gummi è ramis in terram uſque demiſſo, funiculi cujuſdam in ſpeciem: quo pacto Lilia etiam, ſi Plinio fides, lacryma interdum feruntur ſua. Quod ipſum fabula illuſtratur.*

3 *Mirabilis ſe propagandi modus Plantæ cujuſdam in novo Regno Granatenſi apud Indos ex Neremberg. de Mirabilibus novi orbis.*

Si qua fi des, miram perhibent pubeſcere plantam:
Nanque ubi jam longò ſerum folia ægra ſub annum
Victa ſitu putruere, vagis hinc plurimus alis
Papilio micat extemplo, luditq; ſuperſtes.
Poſt hæres idem plantæ fœcundus, inerti
Crura tenella Solo, Naturâ hortante volucrem,
Sponte ſua infigit; nec longum tempus, & udæ
Hæſit Humi referens genitales undique ramos,
Miraturque ſatus reduces, & reddità dona.

Sunt (1) quæ depacto terris ſe attollere ramo
Conſuevere; ſuo ſive is Tibi nomine Ramus,
Talea ſeù potius, tenero vel germine ruptus
Malleolus, dici tandem ſeu Surculus optet,
Hunc (2) vel materno avulſum de corpore longis
Deponunt ſulcis, vel adhuc in matre virentis
Nunc terræ impreſſâ mandatur fronte cacumen,
Nunc circumpoſito traiectus vaſe iubetur
Jam delibratus contentæ aſſueſcere glebæ.

Cætera (3) quid memorem, longo quæ protulit uſu
Ars inventa? quis aut quæ monſtra biformia, vel quos
Subjicit Inſitio peregrinâ ex arbore fœtus
Neſciat? In ſolidum cuneo ſeù vindice Ramo
Sternat iter, teneras medio ſeù cortice gemmas
Rumpat, & ex alio ſubmittat germine plantas.
Proderit hos etiam, arboribus ſi forte creandis
Ritè vaces, adhibere modos, laurumque Novercam
Induere in Ceraſum, & felicem educere prolem:
Lætus & ipſe tuis auctor mirabere campis
Haud unquam ſpectata prius connubia, Fagos
Flectere adoptivis iam nonſua brachia pomis,
Sylveſtriq; Pyrum ſe matre attollere, & olli
Fœturas alias, alios imponere mores.

Tem-

1 *Alij per artem ſerendi modi innuuntur; Ramo ſcilicet, ſeù Surculo, aut Talea, aut Malleolo.*

2 *Seruntur autem plantæ Ramo, ſeù ſurculo, vel avulſo, deciſoq; terraq; impacto; vel dum adhuc Matri hæret, eoq; vel depreſſo, & humi immerſo donec radices egerit, vel traiecto per idoneum vas, in quo terra contineatur.*

3 *Uulgatiſsimus eſt etiam propagandi modus per Inſitionem, cuius rationes variæ curſim perſtringuntur, ut pote quæ paſſim occurrunt apud auctores.*

Tempore (1) quo porrò ſint hæc præſtanda, Magiſtris
Ex aliis diſces; pauca hæc excerpta iubebo.
Semine ſi Tibi ſit ſoboles ducenda, ſubactę
Sidere quo tandem telluri ſemina mandes,
Ipſa (2) Parens natura docet; cum ſcilicet illa
Jam matura, ſuis in humum vel ſponte recluſis
Folliculis reciduut, vel detruduntur hianti
E theca, contracta aperit quam capſula, vel cum
Innaſcente ſuper tenui lanugine, ſulcis
Ceù reddi expoſcant, latis & ſpargier aruis,
Ventorum arbitrio hùc illùc alata feruntur.
Seù (3) tamen illa feras Veris ſub tempora, ferum
Sive ſub Autumnum, primos poſtquam ebibit imbres
Terra, Tibi pridem quæ lapſa eduxerit æſtas,
Pondere quæq; ſuo ſidunt magis, elige; fœtu
Nanque ea læta magis, certoque fidelia partu.
Hæc aruis jacta, & ſparſa memor occule terra:
At (4) ſi contingant peregrinæ ſemina plantæ,
Quam nimio plaga Sole rubens tibi miſit alendam,
Autumni ne crede ſolo ſub frigora; noſtras
Nanque hyemes non illa ferent peritura: tepenti
Vere feras, Veri tandem ſe fidere diſcent.
Quin (5) pictis iſthæc ſatius committere teſtis,
Fictilibuſque cavis, ut quæ planta evenit illinc
Advena, ſi quando gelidâ bacchetur ab Arcto

 Au-

1 *Quæ porrò idonea ſint ſationi tempora, vulgatis Virgilij, aliorumq; præceptis relinquitur.*

2 *Illud unum innuitur; ſi ſemine facienda ſit ſatio, Naturam ipſam idoneum tempus indicare, nimirum quando ſemina plenam iam maturitatem adepta, vel dehiſcentibus conceptaculis in terram decidunt, vel contrahentibus ſe valuulis excutiunt, vel lanugine innaſcente alata ventorum arbitrio huc illuc deferuntur.*

3 *Sive autem Vere, ſive Autumno ſerantur, eligenda ſunt recentia, æſtatis proximè præterita, & quæ magis gravia; quò .n. vetuſtiora, eò difficilius, & parcius germinant; & quæ fluitant, languidiora, & propagationi inepta.*

4 *Illud tamen hic animadvertendum, exoticas plantas, & Regionum calidiorum alumnas, Vere dumtaxat ſerendas eſſe, ut quæ hyemes noſtras non ferunt; ſed facilè corrumpuntur.*

5 *Præſtare etiam ſemina h.m. rariora in fictilibus ſerere, ut plantæ inde enata commodius transferri, & per hyemem, ſi opus ſit, in hypocauſta ſubduci poſſint.*

Aura movens, tutas transferri poſſit in ædes,
Crudelemque Arcton, crudelem eludere brumam?
Hæc (1) eadem pangendus humi ſibi tempora poſcit
Surculus, ut certam valeat promittere ſylvam.
Vix ablactatum primæva è Matre recentem
Ipſe legas, ſiccis nam nulla eſt gratia; vivax
Ni Tibi pangendum commendet Palladis arbor;
Nanque vel è ſicco Radix oleagina ſæpè
Truditur, & vires deſuetæ extundit olivæ.
Hæc (2) ubi jam poſito ſolers transfegeris horto,
Cura ſit & plantis undas inferre tenellis,
Unde alimenta trahant, vireſque laceſſere cultu.
Imber alit plantas, riguo lactantur ab imbri
Semina; ſeminibuſque latens genitabilis alis
Rumpit humum geminis aſſurgens Plantula, & auris
Se credit, germenque arvis promittit apricum.
Mox ubi jam firmis Terræ radicibus hæſit,
Largiùs affusâ vires acquirit ab undâ,
Fibrarum exugens occulta per oſcula ſuccum.
Hinc (3) etiam trunco viget arbor, & annua ducit
Incrementa: novo accedens protuberat auctu
Circulus, & numero exactos diſcriminat annos.
Nempè (4) rigat fractas unco quæ vomere glebas,
Immixtos liquat unda ſales, ſecumque patentes
Radicum vehit in fibras; unde omnis alendis
Arboribuſque, ſatiſque vigor, roburque Juventæ.

Quin

1 *Sub eadem tempora & ſurculi depanguntur. Hi quoque recentes ſint oportet. Oleagini tamen rami, ut auctor eſt Virgilius, vel ſicci progerminant.*

2 *Quoad verò Plantarum Nutritionem, irrigatione opus eſt. Ex aqua ſiquidem plantis, & ſeminibus ſuccus nutritius. Hinc fœcundo è ſemine erumpit primum plantula, quæ ſeminalis dicitur, duobus plerumq; ſeminalibus foliis conſtans, & ſua Radicula; qua nutritium ſuccum per fibrarum oſcula exugit, & adoleſcit.*

3 *Hinc etiam arborum, & Fruticum trunci, indeq; emergentes rami novis additis ligneis involucris quotannis augentur, ex quorum ligneorum circulorum, & tunicarum numero, Trunci, vel Rami ætas innoteſcit, circulorum numero numerum annorum æquante.*

4 *Ratio autem cur aqua potiſſimum plantæ nutriantur, eſt quia purum, & ſimplex elementum non eſt, ſed plures heterogeneas particulas, præſertim ſalinas in ſe continet.*

Quin (1) & ſæpè virens herboſâ è Matre revulſus
Surculus, ut rerum alit experientia ſolers,
Contentâ vitro demerſus Najade vixit
Fertilis, & virides nihilo minus auxit honores,
Quàm ſi caule ſuo regnatis ſtaret in arvis.
Hæc tibi (2) Prunellæ germen, (3) Menthæq; virentis,
Rutaq; (4) multifidumq;(5)Sedum documenta reducet,
Quæq; celebratis gaudent (6) Naſturtia lymphis:
Nec (7) modo floriferis affuſa è Najade plantis
Obvenit emergens alimentum, & floribus inde
Sæpè venit color, & petalis quæſitus oberrat.
Præpingui dudum fœcundam uligine glebam
Ad ſolem exicca, poſitiſq; impone cribratam
Fictilibus; vernantem albo tum flore repoſtum
Infode Caryophyllum; [albis nam denique Florum
Fas unis varios facili bibere ore colores:)
His ita compoſitis, curandum germen amico
Arte coloratæ, quoquo libet, ubere lymphæ
Sole riga ſurgente, riga moriente; domumque
Dein transfer, ne nox fuſcis quem roſcida pennis
Neù Matutinus terris quem ſpargit Eous,
Forte bibant rorem, & curæ obluctentur inani:
Hoc ſi præſtiteris, Phœbe dum menſtrua curſum
Penè ſuum peragat, rurſumque recurrat in orbem;
Hos tibi, queis imbuta prius fuit unda, colores
Proferet, infectumque hauſtâ ſe Najade reddet.

Unde

1 *Hinc eſt, ut plures herbarum ſurculi vel in phialas vitreas aqua repletas immiſsi progerminent; ut experientia conſtat in ijs, quæ eruditiſsimus Sharrocus recenſet penes Rajum t.1.p.31.*

2 *Officin.* Prunella. *Aliis* Conſolida minore, ò minima. 3. Menta. 4. Ruta. 5. Specie di Semprevivo. 6. Naſturcio aquatico.

7 *Nec modò nutrimentum ex aqua plantis ſufficitur, ſed & floribus arte quadam, & mangonio color conciliatur. Huius autem hac norma traditur à Lauremberg. Horticult. c.28. ſect.3. Terra pinguiſsima ad Solem exiccata, aut cribrata reple vas aliquod. Ei florum candidorum germen implanta (nam hi ſoli tingi poſſunt). Ad irrigandum ne alia utaris aqua, quam rubrefacta, ſi flores rubeos deſideras; viridi, ſi virides &c. Huiuſmodi aqua quotidie mane, & veſperi plantam irriga. Noctu transfer in ædem, ne nocturnum, aut matutinum bibat rorem per tres hebdomadas. Flores excipies, ſi minus ex toto, ex parte ſaltem eo infectos colore, quem affudiſti.*

Unde (1) hic mos fuerit vernos traductus in hortos
Haud liquet: ancipiti ſe fama auctore tuetur.
Sunt qui, dum nimios jam jam moritura per æſtus
Langueſcens olim Flora exalbeſceret altam
Fluminis ad ripam, vicino è gurgite Nymphas
Excitas fluvâ, qualis tùm lympha fluebat,
Affudiſſe ori memorent aſpergine fluctus;
Atque ità cum vitâ miſeræ revocaſſe colorem;
Sed color affuſæ veſtigia rettulit undæ.
Atque hinc cœpta loco blandæ poſt artis haberi,
Quæ fugienti olim fuerant medicamina vitæ.
Sunt qui Narciſſi repetitum è funere morem
Contendant; nam ſe fallacis Amaſius undæ
Præſentem vitreo dum fruſtrà in fonte requirit,
Et falſis ſe tingit aquis, jam corpore verſum
In florem, ambiguo quem viderat amne, colorem
Auricomum traxiſſe, hortis exempla futuris.
Has tu delicias aliis permitte, rigandis
Utilius plantis vitales inveke lymphas,
Non (2) apud immemores effuſi gratia facti
Effluet; illam opibus ſuperans Tibi grata rependet
Tempore quæq; ſuo, gazaſq; reponet agreſtes.
Cum (3) primum Veri nigrantibus horrida nimbis
Cedet hyems, Tibi ſe blandâ ferrugine tinctæ
Effundent (4) Violæ, paphyos medicamen in æſtus
Effundet (5) Vitex, (6) Aſarumq;, atq;(7) utilis alno
Aſparagus, ſylviſq; rubens (8) Tithymalus in altis.
Hoc etiam oſtendet ſe tempore (9) Primula Veris,
Primula nunc, olim Virgo, quæ Veris honori

Dum

1 *Huinſce mangonii initium in fabuloſa aliquot exempla refertur.*

2 *Qua quoque tempore plantæ naſcantur juxtà Herbarij Horſtiani methodum recenſentur. Initium ducitur à Menſe Martio, quod ea paucisſima, qua Januario, & Februario menſe naſcuntur, vel ſelecta non ſunt, vel incrementum ſuum Martio demum menſe aſſequuntur.*

3 *Plantæ potiores Martio menſe provenientes, quarum uſus in officinis frequentior.*

4 *Ital.* Viola. 5 *Ital.* Agnocaſto. *Hetruſc etiam* Vetrice. *cujus folia, & ſemina comeſta plurimum valent adverſus æſtus venereos.* 6. *Ital.* Aſaro, ò Baccara. 7. *Ital* Aſparago, *alvo emolliendæ, atque urinæ ciendæ apprimè utiles.* 8. Titimaglio, ò Tutumaglio Salvatico. 9. Primo fiore, ò Fior di Primavera.

Dum ſtudet ante alias , anniq; heù! lenta laceſſit
Gaudia nequicquam, Brumâ obluctante ; doloris
Impatiens cultu in medio defecit ; at illam
Officij Chloris non immemor , ilicet almum
Eſſe dedit germen , traxitq; è germine florem,
Et flori primos Veris conceſſit honores.
Emicat hinc boream contrà , brumamq; nivalem
Primo vere nitens , duxitq; è munere nomen.
Ipſa etiam (1) Jacea , ipſe etiam qui luteus exit
Narciſſus (2) præcox pictis ſeſe efferet arvis;
Atq;(3)Chelidonium minus,auricomumq;(4)Triphyllon;
Helleboruſq; (5) niger, (6) Thymelæaq;,(7)Leucoiūq;
Et vernus (8) Crocus , & petaſo præſignis olenti ,
A quo nomen habet , (9) Petaſitis, humique rubenti
Caule (10) Chamæciſtus reptans , atq; (11) aurea cultu
Saxifraga , & (12) Scillæ Radix operoſa Marinæ.
Tum quoque Pœonios Tibi ſe profundet in uſus
Bellis (13) ovans foliis , imis radicibus (14) Arum,
Alſineq; (15), ſuos nec (16) Pulmonaria vultus
Differet ulterius maculis errantibus aptos.
His ſeſe & foliis pollens , & cortice iunget
Arborea de gente (17) Salix , laudataq; (18) gemmis
Populus, hærentiq; ſcatet quæ plurima ſucco
Commendata (19) Larix, & (20) Iuniperi hirſutæ;
At cum jam pexo fulgebit (21) clarior auro
Corniger aſtrorum Ductor , cælumq; tenebit,
Alter erit campis tum luxus , & altera ſurget
Herbarum ſeges , & tepidas ſe immittet in auras.

Hor-

1. *Ital.* Jacea, ò Scabbioſa volgare, *Hetr.* Fioraliſo ſalvatico. 2. Narciſſo di primavera. 3. Celidonia minore. *Hetruſc.* Favagello. 4. Trifoglio à fior d'oro. *Aliis Melilotum minus, ſeu Lotus campeſtris Officin.* Tripoli. 5. Elleboro nero. 6. Timelea. 7. Viola à fior bianco. 8. Zafferano, ò Croco di primavera. 9. Cappellaccio, ò Tuſſillagene maggiore. 10. Cameciſto, ò Iſopo campeſtre. 11. Saſſifragia à fior d'oro. 12. Scilla marina, ò Cipolla Canina. *Hetruſc.* Cipolla Squilla. 13. *Noſtrat.* Margaritella, *Hetruſc.* Margheritina 14. *Ital.* Aro *Hetruſc.* Giaro, ò Gichero, ò piè vitellino. 15. *Aliter Morſus Gallinæ, Offic.* Pizza Gallina, ò Panarina. 16. Pulmonaria. 17. *Hetruſc.* Salce, ò Salcio, ò Saligaſtro. 18. Pioppo, *cuius gemmæ unguentum populeonis ingrediuntur.*
19 *Ital.* Larice. *cuius gummi pro Terebenthina accipitur.* 20. *Ginebro.*
21 *Plantæ potiores, Aprili menſe provenientes.*

Prætereat? (1) Teque ò qui luxu haud impare vernas,
Maurocenæ ingens Gentis decus, Adria toto
Quem magnis regnatus avis colit æquore ſupplex,
Atque Cleonæo major Leo ſoſpitat aſtro?
Nec Te (2) illaudatum linquam quem Felſina, nec Te
Boſchiadæ excultum ſtudio quem Principis Hortum
Lætior Ennæis præfert Trinacria campis.
Vos quoque, (3) vos largo quæ clara Batavia ſumptu
Educat, ingenioque potens tutatur, & armis,
Floretis meritæ in plauſus Viridaria Famæ.
Sed neque Apollinei ſua quæ miracula ruris
Mænus alit, Tameſiſque, tumens aut Sequana, certent
Parthenope (4) formoſa, Tuo; nec quæ æmulus effert
Adria, frugiferis aut prænatat Arnus arenis.
Rus hoc non aditu (5), foribuſque inſigne ſuperbis
Veſtibulum, aut phrygiis interdiſtincta Columnis
Atria ditavere, notis lucentia miris;
Dædala nec tonsâ vallant Topiaria buxo.
Sed Medicæ fruges, & amæni Copia Veris
Ornavere: tenet ſimplex, & parca Venuſtas.
Hinc exculta Salus campis ſeſe utilis effert.
Hic Stirpes, Medea, tui, quæſitaque longè
Gramina, queis morbis confecta, anniſque priorem
Lætior in florem redeat renovata ſenectus.
Hic Arabum Meſſes, alieno & quicquid ab Orbe
Aut Peruë mittit peregrinum, aut mittit Eous.
At Frutices abſunt triſtes, & noxia tactu
Semina, nec ſævis livent Aconita Novercis.
Nec ſerpit plebeja ſeges per humum, neque tanto

Textilis.

1 *Cum quo alter ibidem poſitus continens Maurocenæ gentis illuſtre monumentum.*

2 *Bononienſis, & Siculus, cura Excellentiſsimi Principis Catholicæ inſignis in paucis.*

3 *Horti in Hollandia, Lugdunenſis, & Amſtelodamenſis cum primis commendatiſsimi.*

4 *Hortus Botanicus Parthenopæus in Capimontano Collegii Neapolitani S. J. Rure ſitus.*

5 *Hæc omnia hyperbolicè, ac per poeticum quendam luſum dicta accipe in gratiam Dominici De Amato ejuſdem Collegii Pharmacopolæ, Horti prælecti Inſtauratoris, quibus nihil detractum volumus Hortorum maximè Regiorum laudibus, quos huic Parthenopæo infinitis propè partibus anteſtare ultrò non diffitemur.*

Textilis in Sylvam tractu ſe potrahit umbra .
Adde loci cultum egregium , formamque per artem
In rata ſimplicibus ſectam diſcrimina quadris ,
Germinaque obductos circum pubentia muros .
An cava collectas memorem ſervantia lymphas
Stagna lacu vitreo ? Tubulis an jugibus indè
Deductas , ſeù quà medio fons æſtuat horto ,
Seù rigat artifici ſtirpes quà plurima cono
Pyramis , & ſparſos ſitientibus erogat imbres ?
Anne ſitum memorem cœlo vernantis aprico ,
Piniferum caput attollens quà mollius almæ
Sirenum patriæ frondente ſupercilio Mons
Imminet , & tepidum vergit declivis ad Auſtrum ?
Hæc (1) eadem feſſis ſedes læta otia Muſis
Sufficit , & vires reparat ceſſantibus ægras :
Hæc & mixta jocis , doctis & plauſibus audit
Jurgia , proſpectuque animos, & lumina paſcit .
Salve (2) Agapetiadæ Tellus amor , & decus ingens
Parthenopæ . Tibi Pæoniæ rem laudis, & uſus
Ingredior , primam hanc auſus decerpere laurum ,
Phæbæamque ſuo do Sylvam aſſurgere Phœbo .
Hinc (3) Tibi par Horti ſpecies , par forma petatur,
Si quis honos artis , ſi Res Herbaria curæ .
Quod ſi Te bello aſſuetum , & pugnacibus armis
Caſtra juvent,aciéſq; , & fervida Martis imago ,
Ipſe Jugurthino clarus , Cimbroque triumpho
Herboſi nemoris plantandi, Hortique virentis
Belligerum Marius ſpecimen dabit : Ille peractis
Inclytus imperijs , veteris quò lumina belli
Falleret objectu , ſenio jam feſſus apricam
Caſtrorum in ſpeciem juſſit deſcribier hortum ,
Quà caput Euboicis tollit Miſenus in oris .
Stabat Caſtrenſis ritu quadrata latino
Area , quam circum valido munimine ductæ
Cingebant alto viridantes aggere foſſæ .
Nec deerat qui loricas ſimularet agreſtes ,

1 *Iſtuc quothebdomadis Collegij Neap. Juniores ſecedere ſolent animi cauſa .*

2 *Suprà laudatus Dominicus de Amato Rei Herbariæ ſcientiſsimus explicatur :*

3 *Horti à C. Mario in Miſenenſi olim poſiti, ſed , ut loquitur Plinius , peritia Caſtrametandi , deſcriptio .*

Altaque præferret qui propugnacula (1) Buxus.
Pro vallo foliis horrens (2) Paliurus acutis
Surgebat, dumiſque rigens Sylveſtris (3) Acanthus,
Idæuſque, (4) Rubus, (5) Ruſcique, (6) Halimique propago.
In medio ſectoſque foros, atque herbida caſtra
Cernere erat; vaſti fœtos nec dentibus Hydri
Jam galeis aliis, aliis haſtilibus ultrò
Florere, & viridi pubeſcere milite ſulcos.
Hæc inter miro latè præſtantia luxu,
Phyllireâ (7), Myrthoque (8), & purpurea (9) Rhododaphne
Vernabant elata Ducis Tentoria, cultrix
Pingebat quæ læta ſatu Zephyritis amæno.
Ipſe renidentum blandè metata recurſans
Caſtrorum ſimulacra, ſuas revireſcere lauros
Inde jubebat ovans jam Dux umbratilis, & ſe
Tum meliùs culti paſcebat imagine belli.
Sed (10) quid ego hæc autem? non his calcaribus iſthæc
Res eget, eſt Regum quando nunc iſta potentum
Gloria Pæoniis ſeſe oblectare viretis,
Regalemque manum regalibus addere ſeptis.
Nec Te fas talem cunctando ſpernere cultum
Noſcendi teneat ſi rerum arcana Cupido.
Non parva hinc operis merces exiſtet, & ipſum
Te non pauca uſu Rerum Natura docebit.
Scilicet (11) hinc diſces, cur hic gentilia ſtirpes
Munia, maternaſque notas, & ſymbola ſervent,
Degenerent alibi, & mores cum nomine mutent.
Queis cœli aſpectus, Terræque haud æqua reſiſtit
Temperies, illas felici educere cultu
Expectes Herbas nequicquam: ex parte neceſſe eſt
Deficiant aliquâ, & votis audacibus obſtent.

Sic

---

1 *Hetruſc.* Buſſo, ò Boſſo, 2 *Ital.* Agrifoglio, ò Aquifoglio. 3 Brancorſina Salvatica. 4 *Ital.* Rovo Ideo, ò Rovo Angelico. 6. Mirto Selvaggio. 6 Specie di Porcacchia. 7 Fillirea. 9 Mirto, ò Morella. 9. Oleandro, ò Rododafne.

10 *Potiſſimum ſubditur calcar in Rei Herbariæ ſtudium, exactior Naturæ cognitio.*

11 *Scilicet hinc diſcimus primùm, cur plantarum pleraque aliò tranſlata degenerent. Hujuſce autem rei in cauſa eſt vel non æquus cœli aſpectus, vel non æquum ſoli ingenium.*

Sic (1) ſua barbaricis Aſter qui luteus oris
Virginiæ generis debet primordia , noſtro
Sub cœlo Europæ pingues traductus in agros .
Florentes detrectat opes exponere , multo
Jampridem niſi Sole rubens exarſerit æſtas .
Nec niſi folliculis ſemen tibi reddet avaris .
Sic (2) Polii ſtirps alma locis aſſueta Marinis
Et Maris , & Solis nimios florere per æſtus ,
Areolis excepta , ſuo jam degener albo
Deſciſcit , frondeſque novo ſibi margine laxat .
  Quid (3) Tibi purpureo ſubdam vernantia flore
Alpinis Aconita jugis ? imbuta venenis
Illa , manu cultis ſi fortè adſcripſeris hortis ,
Haud mora, Cerbereâ multùm de tabe remittent ,
Atque tuis referent ſe penè innoxia pratis .
Scilicet (4) indomitas cogit manſueſcere fruges
Mitius arvorum ingenium , cultuque coërcet
Sylveſtres animos , moreſque emendat avitos .
Teſtes externis pridem quæ noxia ſylvis,
Nunc (5) Argentinis auro lita Præcoqua campis
Proveniunt , menſis gratiſſima dona ſecundis .
  Hæc (6) eadem aſpectu varium miracula cœlum
Sæpè dabit , plantaſq; ſuo de more refinget .

1 *Hinc eſt , cur Aſter Virgineus luteus , ſeù Chryſanthemum Canadenſe bidens , ut potè Virginia indigena , apud nos ſeriùs floreat, nec niſi calida tempeſtate præcedente, ſemenque rarò perficiat .*

2 *Hinc etiam eſt , cur Polium Marinis aſſuetum lecis , atque æſtate florens , cultum valdè degeneret , minus candidum evadat ; foliaque reddantur latiera .*

3 *Maximè verò id comprobatur in Napello, ſeù Aconito Magno, purpureo flore , quod in Alpinis jugis nutritum vires valdè noxias habet ,delatum verò in Hortos miteſcit. Quamvis ne hujus quidem vires experiri ſe velle aſſerat Rajus .*

4 *Nimirum noxiæ plantæ mitiori arvorum ingenio ſæpè demitigantur, ac virus exuunt avitum ; ut Præcoquorum exemplo liquet.*

5 *Oppidum innuitur ad ſexdecim paſſuum millia Neapoli diſtans , quod Argentum , vel Argentium latinè dicitur, vulgò* Azienzo ; *ubi Præcoqua proveniunt laudatiſſima .*

6 *Sæpè portenta hæc in plantis eveniunt ab uno mutato cæli aſpectu . Sic Aconita, & Cicuta, quæ in Montibus Pyrenæis meridiem verſus venenata ſunt , ſi Septemtriones verſus tranſplantentur, humidis in locis necandi vim omnem amittunt,*

Quæ nuper memorata ſuis Aconita Pyrene
Cautibus educit, quà parte obvertitur Auſtro,
Dextrà iterum relegas ; ſtygio ſata felle Triſaucis
Deprendes Canis ; aſt eadem ſtagnantibus arvis
Si mandes , gelidam Tellus quà proſpicit Arcton ,
Virus Echidnæi ſenſim dediſcere monſtri
Aſpicies , tabemq; omnem vomuiſſe Pheræam ,
Quippè ſatum ſpumâ quondam illætabile germen
Cerbereâ , amittit vires , ni mollior Auſter
Excitet , humentiq ; rigens tabum eliquet aurâ .
Haud (1) multùm abludit , Chryſæ quæ divitis altos
Per lucos , per & arva , ſatu ſpectanda biformi,
Planta viret , cæliq; haurit de munere vires ;
Namque ſolo patrium placito ſi ſpectet Eoum ;
Ilicet aſſurgens aſpectu læta ſalubres
Explicat & frondes , & mitis cortice fructus .
At contra vireat ſi Phœbo obverſa cadenti,
Inſtantemq; rotis , mergentemq; æquore currus
Proſpiciat , caſum velut indignata paterni
Sideris , affuſo ſenſim folia omnia tabo
Inficit, & fructus , fœtuq; illudit acerbo .
Uſque adeo ſua cum patrio ſunt fœdera Phœbo
Stirpibus , & cæli ingenium, moreſq; ſequuntur .
Hæc(2)præter majora dabunt ſe monſtra legenti
Obſervanda , tuoq; ſtupens ſpectabis in horto
Pubentes Nymphæ quondam Titanidis artes.
Sæpè etenim affinem mentitum germine formam
In ſpecies alias vario mutabile fœtu
Semen aberrabit , (3) foliis & ſtabit apertis
Braſſica , cognato ſteterat quæ florida thyrſo .
Sæpè etiam (4) vulgaris erit Tibi Primula prati
Lutea vel ſoboles inodoro ingloria flore ,
Semine quæ Veris fuerat jam Primula major .

Seù

1 *Huc facit , quod de Planta quadam Malacenſi apud Indos memorat Solin. p.36. quæ folia , & fructus ſalubres habet , ſi Orientem ſpectet Solem ; noxios verò , ac virulentos, ſi Occidentem .*

2 *Illud etiam è Botanica ſtudio diſcimus Plantas nonnullas interdum in alias ſpecies aberrare .*

3 *Sic ſæpè obſervatur è ſemine Braſsica Florida Botrytis Noſtrat.* Cauolo fiore *enaſcens Braſsica longifolia aperta. Noſtrat.* Broccolone .

4 *E ſemine Primula Veris majoris exiſtens Primula vulgaris, aut Primula pratenſis inodora .*

Seù varium id Terræ ingenium, ſeù ſeminis ægri,
Vis effœta ferat (1), ſeù ſit conceſſa poteſtas
Ejuſdem generis plantis, quæ pervia ſæpè
Cognatam ſeſe in faciem, cultumque propinquum
Induat, atque aliâ ſpem formâ eludat agreſtem.
Non ſemel hinc alti medio ſub ſidere Cancri
Meſſor avenaceis ſtupuit turgeſcere granis
Culmum, triticeis qui jam flavebat ariſtis,
Hordeaque immixto nigreſcere viſa (2) Secale.
Quid? quod ſunt (3) bulbo qui ſe teſtentur eodem,
Haudquaquàm mutatâ arvi genitabilis alvo,
Unde (4) Crocus primùm extiterat, legiſſe recuſis
Gladiolum (5) foliis, (6) Hyacinthum ſuavè rubentem
Leucoii de ſtirpe, ſatuq; in germina rurſum
Alternante, vicem cultu revocaſſe priorem.
  Interdum (7) pingui Terræ de munere flores
Anguſtum pridem Calycem, & vix ſimplice cultu
Contentum, luxu foliorum implere comanti
Aſpicies, partuque ſinus laxare tumentes.
Sic alia ex aliis ſtudio translatus agreſti
In loca, non ſemel exiguas jam largior auxit
Caryophyllus (8) opes: Nemorum ſic germina cultis
Conſita pulvillis (9) Anemone, & (10) Colchica crines

Plea

---

1 *Hac autem ſpecierum tranſmutatio in plantis nonniſi inter affines, & ejuſdem generis contingit, Hinc mirum non eſt, quod aliquando in Spica Tritici Albi tria, aut quatuor grana Avenacea obſervat a ſint omni ex parte perfecta; & in ſpicis alijs Hordeum ſimul, & Secale.* 2. *Noſtrat.* Germano. *Hetruſc.* Segala, ò Segola.

3 *Addit tamen eruditiſsimus Sharrocus de Propag. Plantarum c. 1. n. 4. plantas nonnullas bulboſas diuturniore mora in eodem loco mirabili ſanè metamorphoſi in alias ſpecies degeneraſſe; Crocum ex. gr.* 4. *Ital.* Croco, ò Zaffarano *in Gladiolum.* 5. *Ital.* Spadella. Iride di Primavera. *Hetruſc.* Ghiaggivolo. 6 *Leucoium. Ital.* Viola bianca, *in Hyacinthum,* Ital. Giacinto, *& vice verſa. Quod tamen Rajus ne jurato quidem crederet.*

7 *Compertum illud etiam floribus ex crebra hac in alia ex alijs loca tranſlatione evenire, ut ſæpè è ſimplicibus in plenos, ac multiplices evadant: uti de Caryophyllis auctor eſt Laurembergius, & de Anemonis nemorum, & Colchicis teſtatur Sharrocus.*

8 *Ital.* Garofalo, ò Garofano. 9 *Noſtrat.* Anemola. 10 Ermodattilo, Specie di Tulipano, ò di Narciſſo Autunnale. *Alij* Zaffarano Selvaggio.

Pleniùs explicuere : (1) novæ decus addidit ollis
Fertilitas glebæ, & formæ blandita moranti eſt.
  Multum nempè ſoli ingenium, & clementia cœli
Arva (2) juvant, nec fruſtrà alto ſol ſplendet ab axe;
Sicubi jam felix, & fertilis ubere glebæ
In medium Solem, & tepidum proſpectet in Auſtrum;
Illa Tibi Tellus Terris magis omnibus una
Herbarum dives cenſu exultabit agreſti
Lætior, & viridem latè diffundet honorem.
Non (3) illi certent gelidum damnata ſub axem
Arva, Caledoniis nunquam non cana pruinis.
Largior hic ſeges, & numero cumulatior omni.
Quin (4) quæ vix Fruticum Riphæis conſita campis
Excedunt virgulta modum, producta tepenti
Sub cœlo arboream in molem felicibus umbris
Aſſurgunt, ventoſque ſtatu, & vaga nubila vincunt.
Quæque humili Herbarum cenſentur germina laude,
Vi Brumæ contracta, altos ſub mitibus auris
In Frutices abiere; nec ultrà imbellis in altum
Eſt Althæa (5) ſuos mirata evadere Ramos,
Et crebris (6) Scabioſa pilis, & ceſpite Majus
Uſque (7) Sedum vivax, & (8) Malva, & caudice tandem
Ipſe ſui vix lactis egens (9) Tithymalus adulto.
  Mite (10) ſolum, mites auras optate tenellis

Spir-

1 *Plurimùm verò ad id conduxiſſe putatur Soli ubertas, & opulentia.*

2 *Multùm nimirum educendis feliciter plantis confert uber Soli ingeniũ, & Cœli clementia. Hinc obſervatum, quò propius ad Meridiem accedas, eò plures plantarum ſpecies deprehendi.*

3 *Quamvis enim Regiones frigidæ, & Septentrionales ſuas quoque peculiares ſtirpes obtineant, pauciſſimæ tamen ea ſunt, ſi cum illis componantur, quæ in Temperatis, & Calidioribus proveniunt.*

4 *Quin plantarum plures, quæ frigidis in Regionibus Fruticum modum non excedunt, in Calidioribus Arborum Staturam, & Magnitudinem aſſequuntur: quæque illic nonniſi Herbæ ſunt, hic etiam in Frutices abeunt; ut in ijs, quæ recenſentur, compertum.*

5 *Hetruſc.* Altea, ò Biſmalva. 6 *Ital.* Scabbioſa. 7 Semprevivo Maggiore. 8 Malva. 9 Titimalo, ò Titimaglio.

10 *Quantumvis verò Bruma obſit Herbarum viretis, obſervatum tamen Montes excelſos, quorum vertices maximam anni partem nivibus operiuntur, uti ſunt Alpes, & Nicates Mons in Samnio, vulgò* Majella, *herbarum copia, & varietate affluentiùs abundare; eaſque ibi omnium ſui generis ferè maximas eſſe, & flores pulcherrimos edere.*

Stirpibus, at contrà immitem defendite brumam;
Agricolæ: plantis jam pubeſcentibus algens
Bruma gravis, nocet herboſis pigra bruma viretis.
Quanquam nubiferas vernant quæ læta per Alpes,
Quæque Machaoniis Nicaten frugibus umbrant,
E nivibus, longos canent quibus obſita menſes,
Incrementa (1) ferunt majora: haud ullibi ſtirpes
Luxuriant magis, & cenſu ſe divite fundunt,
Herbarum uberior vis hic, & didita plures
In ſpecies, hic majori ſe germine Caules
Puberibus tollunt foliis, & flore renident
Splendidiore: nives animos, vireſque miniſtrant;
Seù ſibi ſubjectas alto velut aggere ſtirpes
Tutentur Boreæ contrà, Brumæque furores;
Seù, quo ritè ſcatent, fuſo ſata pinguia nitro
Fæcundent, glebaſque ſoluto humore maritent,
Hinc vix afflatu Zephyrorum, & Solibus ictæ
Diſperiere, ſubit partu cùm præcoce pubes
Herbida, & extemplo fruticans juga meſſis inumbrat.
Jam vero (2) has ipſas quæ ſit Tibi forma ſerendi,
Quæve propagandi plantas edicere tempus,
Non una Arboribus, teneris non una creandis
Eſt plantis Natura; (3) aliæ nam ſpontè vireſcunt,
Nullo hominum cogente; (4) ſuo de ſemine ſurgunt
Aſt aliæ, & lætas veniunt in luminis auras.
Sunt (5) quæ ſubmiſſis reptanti è Caule flagellis
Multiplicant ſeſe: regnata per arva procurrunt
Illa, noviſque ſolo jactis Radicibus hærent,
Sub nodos nova ſubjectis ad munera fibris:
Tempore quæ tandem, paulatim arentibus ipſis

Fu-

1 *Id autem nivibus ipſis tribuendum; ſive quòd nix, tanquam operculum quoddam radices foveat, & ab injuriis cœli, & frigoris vehementioris defendat; ſive quod Sale nitroſo, quo abundare creditur, terram latius fœcundet.*

2 *Jamvero quod ad ſationem, & propagationem plantarum attinet, variis id modis contingit.*

3 *Aliæ ſiquidem ſponte naſcuntur.*

4 *Aliæ è ſemine, ut planum cuique eſt.*

5 *Aliæ flagellis, ceù funiculis emiſſis, reptantibus, atque ad nodos radices ſubinde agentibus, & ſurſum germinantibus: quæ germina, cum invaleſcunt, funiculis areſcentibus, à Matribus ſuis ſpontè ſeparantur, & novæ plantæ fiunt; ut in memoratis cernere licet.*

Imorum foliorum altis naſcente ſub alis;
E'ſpicis ſummo confertim in Caule creatis
Allia jam memorata (1); uſtis ſed nomen ab Indis
Quæ ducit (2) Ficus, lento de glutine gummi
Altiùs è ramis longæ ſub imagine reſtis
Demiſſò in terram, & Matris reparante ruinas.
Lacryma ſic gravido lenteſcens roſcida lapſu
Arva ſubit, riſuq; novos revireſcit in ortus.
Hoc etiam fœcunda modo ſe læta propagant
Lilia, (Naturæ perhibet ſi vera vetuſtus
Interpres) guttiſq; ſuis rorata feruntur.
Has lacrymis vires, hunc fertilitatis honorem,
Ut fama eſt, ipſe ignoſcens indulſit Apollo;
Nam poſtquam jaculis numeroſâ prole ſuperbam
Orbavit Nioben, meritoſq; exercuit arcus
Spretam ultus Matrem, geminatâ à cæde rigentem
Tantalin in marmor, gelidoq; è marmore fletus
Voluentem ut vidit, fatum, lacrymabile fatum
Tum demum miſerans idem Pater æquus, & ultor
Haud imbres paſſus triſtes areſcere: & ultrò,
Ah! ſui in exitium fœcundæ funera quando
Proſequitur Matris lacryma hæc, fœcunda ſuperſit
Ipſa ſibi ſaltem, dixit; ſibi ſuppleat almas
Germinis ipſa vices, vitamq; è funere ducat.
Vix ea, cum riguæ viſæ concreſcere guttæ
Ilicet, inq; novum redivivæ erumpere caulem:
Craſſior hæc foliis, peregrino & barbara cultu
Horruit in Ficum fruticans; illa hiſcere viſa
Albentem in Calycem thyrſo viridante recluſum,
E quibus emanans etiamnum lacryma vitam
Ipſa ſibi ſerit, & generis diſpendia ſupplet.
An (3) referam quæ monſtra ullis haud cognita ſeclis
Fert nova barbaricis vernans Hiſpania terris?
Hic qua terra Indo felix cultore cadentes
Spectat Solis equos, lapſumq; ſub æquora ſentit;

N Si

1 *Certa quædam Alliorum genera, bulbulis, ſeu ſpicis in ſummo caule confertim enaſcentibus.*

2 *Ficus demum Indica, gummi è ramis in terram uſque demiſſo, funiculi cuiuſdam in ſpeciem: quo pacto Lilia etiam, ſi Plinio fides, lacryma interdum feruntur ſua. Quod ipſum fabula illuſtratur.*

3 *Mirabilis ſe propagandi modus Plantæ cuiuſdam in novo Regno Granatenſi apud Indos ex Neremberg. de Mirabilibus novi orbis.*

Si qua fides, miram perhibent pubeſcere plantam:
Nanque ubi jam longò ſerum folia ægra ſub annum
Victa ſitu putruere, vagis hinc plurimus alis
Papilio micat extemplo, luditq; ſuperſtes.
Poſt hæres idem plantæ fœcundus, inerti
Crura tenella Solo, Naturâ hortante volucrem,
Sponte ſua infigit; nec longum tempus, & udæ
Hæſit Humi referens genitales undique ramos,
Miraturque ſatus reduces, & reddità dona.
Sunt (1) quæ depacto terris ſe attollere ramo
Conſuevere; ſuo ſive is Tibi nomine Ramus,
Talea ſeù potius, tenero vel germine ruptus
Malleolus, dici tandem ſeu Surculus optet,
Hunc (2) vel materno avulſum de corpore longis
Deponunt ſulcis, vel adhuc in matre virentis
Nunc terræ impreſsâ mandatur fronte cacumen,
Nunc circumpoſito traiectus vaſe iubetur
Jam delibratus contentæ aſſueſcere glebæ.
Cætera (3) quid memorem, longo quæ protulit uſu
Ars inventa? quis aut quæ monſtra biformia, vel quos
Subjicit Inſitio peregrinâ ex arbore fœtus
Neſciat? In ſolidum cuneo ſeù vindice Ramo
Sternat iter, teneras medio ſeù cortice gemmas
Rumpat, & ex alio ſubmittat germine plantas.
Proderit hos etiam, arboribus ſi forte creandis
Ritè vaces, adhibere modos, laurumque Novercam
Induere in Ceraſum, & felicem educere prolem:
Lætus & ipſe tuis auctor mirabere campis
Haud unquam ſpectata prius connubia, Fagos
Flectere adoptivis iam nonſua brachia pomis,
Sylveſtriq; Pyrum ſe matre attollere, & olli
Fœturas alias, alios imponere mores.

Tem-

---

1 *Alij per artem ſerendi modi innuuntur; Ramo ſcilicet, ſeù Surculo, aut Talea, aut Malleolo.*

2 *Seruntur autem plantæ Ramo, ſeù ſurculo, vel avulſo, deciſoq; terraq; impacto; vel dum adhuc Matri hæret, eoq; vel depreſſo, & humi immerſo donec radices egerit, vel traiecto per idoneum vas, in quo terra contineatur.*

3 *Vulgatiſſimus eſt etiam propagandi modus per Inſitionem, cuius rationes variæ curſim perſtringuntur, ut pote quæ paſſim occurrunt apud auctores.*

Tempore (1) quo porrò ſint hæc præſtan la, Magiſtris
Ex aliis diſces ; pauca hæc excerpta iubebo.
Semine ſi Tibi ſit ſoboles ducenda, ſubactę
Sidere quo tandem telluri ſemina mandes,
Ipſa (2) Parens natura docet ; cum ſcilicet illa
Jam matura, ſuis in humum vel ſponte recluſis
Folliculis recidunt, vel detruduntur hianti
E theca, contracta aperit quam capſula, vel cum,
Innaſcente ſuper tenui lanugine, ſulcis
Ceù reddi expoſcant, latis & ſpargier aruis,
Ventorum arbitrio hùc illùc alata feruntur.
Seù (3) tamen illa feras Veris ſub tempora, ferum
Sive ſub Autumnum, primos poſtquam ebibit imbres
Terra, Tibi pridem quæ lapſa eduxerit æſtas,
Pondere quæq; ſuo fidunt magis, elige ; fœtu
Nanque ea læta magis, certoque fidelia partu.
Hæc aruis jacta, & ſparſa memor occule terra :
At (4) ſi contingant peregrinæ ſemina plantæ,
Quam nimio plaga Sole rubens tibi miſit alendam,
Autumni ne crede ſolo ſub frigora ; noſtras
Nanque hyemes non illa ferent peritura : tepenti
Vere feras, Veri tandem ſe fidere diſcent.
Quin (5) pictis iſthæc ſatius committere teſtis,
Fictilibuſque cavis, ut quæ planta evenit illinc
Advena, ſi quando gelidâ bacchetur ab Arcto

1 *Quæ porrò idonea ſint ſationi tempora, vulgatis Virgilij, aliorumq; præceptis relinquitur.*

2 *Illud unum innuitur; ſi ſemine facienda ſit ſatio, Naturam ipſam idoneum tempus indicare, nimirum quando ſemina plenam iam maturitatem adepta, vel dehiſcentibus conceptaculis in terram decidunt, vel contrahentibus ſe valuulis excutiunt, vel lanugine innaſcente alata ventorum arbitrio huc illuc deferuntur.*

3 *Sive autem Vere, ſive Autumno ſerantur, eligenda ſunt recentia, æſtatis proximè præterita, & quæ magis gravia; quò .n. vetuſtiora, eò difficilius, & parcius germinant; & quæ fluitant, languidiora, & propagationi inepta.*

4 *Illud tamen hic animadvertendum, exoticas plantas, & Regionum calidiorum alumnas, Vere dumtaxat ſerendas eſſe, ut quæ hyemes noſtras non ferunt; ſed facilè corrumpuntur.*

5 *Præſtare etiam ſemina h.m. rariora in fictilibus ſerere, ut plantæ inde enata commodius transferri, & per hyemem, ſi opus ſit, in hypocauſta ſubduci poſsint.*

Aura movens, tutas transferri poſſit in ædes.
Crudelemque Arcton, crudelem eludere brumam?
Hæc (1) eadem pangendus humi ſibi tempora poſcit
Surculus, ut certam valeat promittere ſylvam.
Vix ablactatum primæva è Matre recentem
Ipſe legas, ſiccis nam nulla eſt gratia; vivax
Ni Tibi pangendum commendet Palladis arbor;
Nanque vel è ſicco Radix oleagina ſæpè
Truditur, & vires deſuetæ extundit olivæ.
Hæc (2) ubi jam poſito ſolers transfegeris horto,
Cura ſit & plantis undas inferre tenellis,
Unde alimenta trahant, vireſque laceſſere cultu.
Imber alit plantas, riguo lactantur ab imbri
Semina; ſeminibuſque latens genitabilis alis
Rumpit humum geminis aſſurgens Plantula, & auris
Se credit, germenque arvis promittit apricum.
Mox ubi jam firmis Terræ radicibus hæſit,
Largiùs affuſâ vires acquirit ab undâ,
Fibrarum exugens occulta per oſcula ſuccum.
Hinc (3) etiam trunco viget arbor, & annua ducit
Incrementa: novo accedens protuberat auctu
Circulus, & numero exactos diſcriminat annos.
Nempè (4) rigat fractas unco quæ vomere glebas,
Immixtos liquat unda ſales, ſecumque patentes
Radicum vehit in fibras; unde omnis alendis
Arboribuſque, ſatiſque vigor, roburque Juventæ.

Quin

1 *Sub eadem tempora & ſurculi depanguntur. Hi quoque recentes ſint oportet. Oleagini tamen rami, ut auctor eſt Vergilius, vel ſicci progerminant.*

2 *Quoad verò Plantarum Nutritionem, irrigatione opus eſt. Ex aqua ſiquidem plantis, & ſeminibus ſuccus nutritius. Hinc fœcundo è ſemine erumpit primum plantula, quæ ſeminalis dicitur, duobus plerumq; ſeminalibus foliis conſtans, & ſua Radicula; qua nutritium ſuccum per fibrarum oſcula exugit, & adoleſcit.*

3 *Hinc etiam arborum, & Fruticum trunci, indeq; emergentes rami novis additis ligneis involucris quotannis augentur, ex quorum ligneorum circulorum, & tunicarum numero, Trunci, vel Rami ætas innoteſcit, circulorum numero numerum annorum æquante.*

4 *Ratio autem cur aqua potiſſimum plantæ nutriantur, eſt quia purum, & ſimplex elementum non eſt, ſed plures heterogeneas particulas, præſertim ſalinas in ſe continet.*

Quin (1) & ſæpè virens herboſâ è Matre revulſus
Surculus, ut rerum calit experientia ſolers,
Contentâ vitro demerſus Najade vixit
Fertilis, & virides nihilo minus auxit honores,
Quàm ſi caule ſuo regnatis ſtaret in arvis.
Hæc tibi (2) Prunellæ germen, (3) Menthæq; virentis,
Rutaq; (4) multifidumq; (5) Sedum documenta reducet,
Quæq; celebratis gaudent (6) Naſturtia lymphis;
Nec (7) modo floriferis affuſa è Najade plantis
Obvenit emergens alimentum, & floribus inde
Sæpè venit color, & petalis quæſitus oberrat.
Præpingui dudum fœcundam uligine glebam
Ad ſolem exicca, poſitiſq; impone cribratam
Fictilibus; vernantem albo tum flore repoſtum
Infode Caryophyllum; (albis nam denique Florum
Fas unis varios facili bibere ore colores:)
His ita compoſitis, curandum germen amico
Arte coloratæ, quoquo libet, ubere lymphæ
Sole riga ſurgente, riga moriente; domumque
Dein transfer, ne nox fuſcis quem roſcida pennis,
Neù Matutinus terris quem ſpargit Eous,
Forte bibant rorem, & curæ obluctentur inani:
Hoc ſi præſtiteris, Phœbe dum menſtrua curſum
Penè ſuum peragat, rurſumque recurrat in orbem;
Hos tibi, queis imbuta prius fuit unda, colores
Proferet, infectumque hauſtâ ſe Najade reddet.

Unde

---

1 *Hinc eſt, ut plures herbarum ſurculi vel in phialas vitreas aqua repletas immiſsi progerminent; ut experientia conſtat in ijs, quæ eruditiſsimus Sharrocus recenſet penes Rajum t.1.p.31.*

2 *Officin.* Prunella. *Aliis* Conſolida minore, ò minima. 3. Menta. 4. Ruta. 5. Specie di Semprevivo. 6. Naſturcio aquatico.

7 *Nec modò nutrimentum ex aqua plantis ſufficitur, ſed & floribus arte quadam, & mangonio color conciliatur. Huius autem hæc norma traditur à Laurembcrg. Horticult. c. 28. ſect. 3. Terra pinguiſsima ad Solem exiccata, aut cribrata reple vas aliquod. Ei florum candidorum germen implanta (nam hi ſoli tingi poſſunt). Ad irrigandum ne alia utaris aqua, quam rubrefacta, ſi flores rubeos deſideras; viridi, ſi virides &c. Huiuſmodi aqua quotidie mane, & veſperi plantam irriga. Noctu transfer in ædem, ne nocturnum, aut matutinum bibat rorem per tres hebdomadas. Flores excipies, ſi minus ex toto, ex parte ſaltem eo infectos colore, quem affudiſti.*

Unde (1) hic mos fuerit vernos traductus in hortos
Haud liquet : ancipiti ſe fama auctore tuetur .
Sunt qui , dum nimios jam jam moritura per æſtus
Langueſcens olim Flora exalbeſceret altam
Fluminis ad ripam , vicino è gurgite Nymphas
Excitas flavâ , qualis tùm lympha fluebat ,
Affudiſſe ori memorent aſpergine fluctus ;
Atque ità cum vitâ miſeræ revocaſſe colorem ;
Sed color affuſæ veſtigia rettulit undæ .
Atque hinc cœpta loco blandæ poſt artis haberi ,
Quæ fugienti olim fuerant medicamina vitæ .
Sunt qui Narciſſi repetitum è funere morem
Contendant ; nam ſe fallacis Amaſius undæ
Præſentem vitreo dum fruſtrà in fonte requirit ,
Et falſis ſe tingit aquis , jam corpore verſum
In florem , ambiguo quem viderat amne , colorem
Auricomum traxiſſe , hortis exempla futuris .
Has tu delicias aliis permitte , rigandis
Utilius plantis vitales inveħe lymphas ,
Non (2) apud immemores effuſi gratia facti
Effluet : illam opibus ſuperans Tibi grata rependet
Tempore quæq; ſuo , gazaſq; reponet agreſtes .
Cum (3) primum Veri nigrantibus horrida nimbis
Cedet hyems , Tibi ſe blandâ ferrugine tinctæ
Effundent (4) Violæ , paphyos medicamen in æſtus
Effundet (5) Uitex , (6) Aſarumq; , atq; (7) utilis alvo
Aſparagus , ſylviſq; rubens (8) Tithymalus in altis .
Hoc etiam oſtendet ſe tempore (9) Primula Ueris,
Primula nunc , olim Virgo , quæ Veris honori

Dum

1 *Huiuſce mangonii initium in fabuloſa aliquot exempla refertur.*

2 *Quæ quoque tempore plantæ naſcantur juxtà Herbarÿ Horſtiani methodum recenſentur. Initium ducitur à Menſe Martio , quod ea paucisſima, quæ Januario, & Februario menſe naſcuntur, vel ſelecta non ſunt, vel incrementum ſuum Martio demum menſe aſſequuntur.*

3 *Plantæ potiores Martio menſe provenientes , quarum uſus in officinis frequentior.*

4 *Ital.* Viola. 5 .*Ital.* Agnocaſto. *Hetruſc etiam* Vetrice. *cujus folia , & ſemina comeſta plurimum valent adverſus æſtus venereos.* 6. *Ital.* Aſaro, ò Baccara. 7. *Ital* Aſparago , *alvo emolliendæ , atque urinæ ciendæ apprimè utiles.* 8. Titimaglio, ò Tutumaglio Salvatico. 9. Primo fiore, ò Fior di Primavera.

Dum ſtudet ante alias , anniq; heù! lenta laceſſit
Gaudia nequicquam, Brumâ obluctante ; doloris
Impatiens cultu in medio defecit ; at illam
Officij Chloris non immemor , ilicet almum
Eſſe dedit germen , traxitq; è germine florem,
Et flori primos Veris conceſſit honores.
Emicat hinc boream contrà , brumamq; nivalem
Primo vere nitens, duxitq; è munere nomen.
Ipſa etiam (1) Jacea , ipſe etiam qui luteus exit
Narciſſus (2) præcox pictis ſeſe efferet arvis;
Atq;(3)Chelidonium minus,auricomumq;(4)Triphyllon,
Helleboruſq; (5) niger, (6) Thymelæaq;,(7)Leucoiūq;
Et vernus (8) Crocus , & petaſo præſignis olenti ,
A quo nomen habet , (9) Petaſitis, humique rubenti
Caule (10) Chamæciſtus reptans , atq; (11) aurea cultu
Saxifraga , & (12) Scillæ Radix operoſa Marinæ.
Tum quoque Pœonios Tibi ſe profundet in uſus
Bellis (13) ovans foliis , imis radicibus (14) Arum,
Alſineq; (15), ſuos nec (16) Pulmonaria vultus
Differet ulterius maculis errantibus aptos.
His ſeſe & foliis pollens , & cortice iunget
Arborea de gente (17) Salix , laudataq; (18) gemmis
Populus, hærentiq; ſcatet quæ plurima ſucco
Commendata (19) Larix, & (20) Iuniperi hirſutæ;
At cum jam pexo fulgebit (21) clarior auro
Corniger aſtrorum Ductor , cælumq; tenebit,
Alter erit campis tum luxus , & altera ſurget
Herbarum ſeges , & tepidas ſe immittet in auras.

Hor-

1. *Ital.* Jacea, ò Scabbioſa volgare, *Hetr.* Fioraliſo ſalvatico. 2. Narciſſo di primavera. 3. Celidonia minore. *Hetruſc.* Favagello. 4. Trifoglio à fior d'oro. *Alijs Melilotum minus, ſeu Lotus campeſtris Officin.* Tripoli. 5. Elleboro nero. 6. Timelea. 7. Viola à fior bianco. 8. Zafferano, ò Croco di primavera. 9. Cappellaccio, ò Tuſſillagene maggiore. 10. Camecisto, ò Iſopo campeſtre. 11. Saſſifragia à fior d'oro. 12. Scilla marina, ò Cipolla Canina. *Hetruſc.* Cipolla Squilla. 13. *Noſtrat.* Margaritella, *Hetruſc.* Margheritina 14. *Ital.* Aro *Hetruſc.* Giaro, ò Gichero, ò piè vitellino. 15. *Aliter Morſus Gallinæ, Offic.* Pizza Gallina, ò Panarina. 16. Pulmonaria. 17. *Hetruſc.* Salce, ò Salcio, ò Saligaſtro. 18. Pioppo, *cuius gemmæ unguentum populeonis ingrediuntur.*
19. *Ital.* Larice. *cuius gummi pro Terebenthina accipitur.* 20. *Ginebro.*
21. *Planta potiores, Aprili menſe provenientes.*

Herbilegos tu pande ſinus: Tibi prodit ab arnis
Oxalis (1), & geminis pollet quæ viribus (2) Oxys;
Nec morbos adverſus opem Radicis odoram
Caryophyllatæ (3) ſtirps ultra inviderit : exit
Læta caballino riguis quæ frondet in oris
Ungue (4) Chameleuce, & tuſſi medicatur anhelæ.
Ah ne (5) Plantago quæ fert, & amica ſopori
Lactuca (6), inſenſamq; domans (7) Cochlearia bilem,
Munera prætereas. Hoc, hoc ſub ſidere caules
Illa ſuos fundunt, ſubiguntq; in pharmaca vires.
Hoc & amat (8) Violæ melior ſtirps lutea carpi,
Hoc & (9) Saxifragæ ſtirps alba, ſatoq; Leonis
Dente (10) virens germen, lectoq; (11) Aquilegia fœtu;
Nec grave (12) Satyrion bulbo, nec lenta recuſat
Berberis (13), & latis regnans (14) Ranunculus arvis.
Depulſo (15) Vectore Helles, Maternus ovantis
Menſis Atlantiadæ cœlo ſucceſſerit alto?
Suffectis aliis hortos vernare videbis
Germinibus, medicaſq; alias pubeſcere ſtirpes.
Tunc & (16) Borago, tunc & genus omne (17) Roſarum,
Dictamnuſq; (18) albus, flavoq; (19) Calendula flore,
Et geminum (20) Abrotanum, & vita (21) Betonica cuſtos
Provenit, & linguam (22) Buglosſum exertat agreſtem,
Læta columbino (23) viden ut pede prata ſupinum
Geranium hinc ſubeat, Leporis procul inde (24) Lagopus,
Anſeris (25) at pede ſe tollens hoc nomine germen?

Nec

---

1 *Ital.* Acetoſa. 2. Acetoſella. 3. *Hetruſc.* Gariofilata, *cujus radix aromatica plurimum valet adverſus morbos* 4. *Ital.* Tuſſilaggine, ò Unghia di Cavallo. *Aliter etiã* Farfara, ò Farfarella. 5. *Officin.* Cinquenervi. *Hetruſc.* Piantaggine, ò Petacciuola. 6. Lattuca. 7. Coclearia. 8. Viola à Fior giallo. 9. Saſſifragia à fior bianco. 10. Dente di Lione. *Aliter Taraxacon, Cichoreò ſpecies flore luteò.* 11. Aquilina. 12. Satirione. 13. Creſpina. 14. Ranũculo, ò piè corvino. 15 *Plantæ potiores Maio menſe provenientes.* 16. *Hetruſ.* Borragine, ò Borrana. 17 Roſa. 18. Dittamo biãco, ò Fraſſinella. 19. Fior d'ogni meſe. *Hetruſc.* Fior rancio. 20. *Ital.* Abrotano maſchio, e femina. *Hetruſc.* Abrotino, ò Bruotina. 21. *Ital.* Betonica. 22. *Officin.* Buglosſa, ò lingua di bue, ſpecie di Borragine ſelvaggia. *Hetruſc.* Borràna, ò Lingua buona
23. *Officin.* Piè Colombino, ſpecie di Geranio. 24. Piè di Lepre. 25. *Herba dicta Pes-Anſerinus. Ital.* Piè d'Oca.

Nec mora Te tenet ulla, virens (1) Agrimonia, nec Te
Portulaca (2), truceſq; timens (3) Fumaria nimbos.
Tu quoque, tu Quercum folijs imitata (4) Chamædrys
Tum prodis, luxuq; nitens (5) Biſtorta comanti.
Adde (6) Chelidonium maius, (7) Roremq; marinum,
Prunellamq;(8),Enulamq;(9),& amara(10)Abſynthia,& aptis
Nodiſq;, Spiniſq; ſcabri grave vimen (11) Acanthi,
Haud alio in flores ſe tempore pleniùs unquam
Induit, aut herbis ridet vernantibus annus.
Hoc(12)Rubia, hoc cœlo gaudens ſe credit aperto
Myrrhis (13), & apricis (14) Orobanche exultat in hortis,
Hoc & (15) Achillææ decor eſt, molliq; (16) Aparinæ.
Arrectus viret (17) Aſphodelus, ſtrictiſq; minatur
In cœlum folijs; Irim ſata provocat (18) Iris,
Roranteſq; effert (19) Anagallis Aquatica crines.
At (20) quamvis Fruticum campis ſe tanta profundat
Copia, ſtellatis Taurus dum cornibus ardet;
Haud tamen his, qui ſuccedit, Iunonius ibit
Menſis inops: Tibi & ipſe ſuas benè prodigus herbas
Sufficiet, dexterq; tuo ſubſerviet horto.
Teſtis erit(21)Nymphæa,(22) Thymumq;,(23) Althæaq;,teſtis
Schœcas (24), Hyoſciamuſq; (25) ferax,vicinaq; (26) Rutæ
Salvia (27), Fœniculumq; (28),& odoriferum(29) Melilotum
Omnia quæ largo tum ſe Tibi conſita reddent

1. *Officin.* Eupatorio d'Avicenna, ò Agrimonia. 2. *Noſtr.* Porchiacca. *Hetruſc.* Porcellana. 3. *Noſtrat.* Fumoterra. *Hetruſc.* Fummoſterno. 4. Querciuola. 5. Biſtorta. 6. Celidonia. 7. *Noſtrat.* Roſmarino. *Hetruſc.* Ramerino 8. Prunella, ò Conſolida minima. 9. *Hetruſc.* Enula Campana. 10. *Hetruſc.* Aſſenzio, ò Santonica. 11. *Hetruſc.* Brancorſina. 12. Rubbia ò Eritrodano. 13. Mirride. 14. Erba Lupa, ò Erba del Toro. 15. Specie di Millefoglio. 16. Aparina, ò Rubbia ſelvaggia. 17. *Ital.* Asfodelo. *Hetruſc.* Asfodillo, ò Aſta Regia. 18. *Officin.* Giglio azurro, ò Iride di Primavera. 19. Anagallide aquatica, ſpecie di Gorgoleſtro, ò Paſtinaca Aquatica. 20. *Plantæ potiores Junio menſe provenientes.* 21. *Officin.* Ninfea, ò Nenufàr. 22. Timo. 23. *Hetruſc.* Altea, ò Biſmalua. 24. *Officin.* Stecade. 25. *Hetruſc.* Giuſquiamo, ò Juſquiamo. *Alijs* Fava porcina. 26. Ruta. 27. Salvia. 28. Finocchio. 29. Meliloto.

Fœnore, pulvilloſq; nová jam pube tenebunt.
Quin tempus ſub idem niveos argentea crines
Lilia (1), cæruleos (2) Cyanus, ſaturo igne rubentes
Pœoniæ (3) referent: pollens ſe floribus addet
Anthemis (4), Hyſſopuſque (5), & amaris (6) Intuba fibris.
An Tibi ſubjiciam ſubeuntem, & lenè comantem
Atriplicem (7), Lapathumq; (8), ſoporiferumq; (9) Papaver?
Anne ſatus alios? Te (10) Matricaria, Teq;
Scordion (11), & puri comes (12) Alchimilla (13) Liguſtri?
Interea (14) medio Cancri de ſidere cæli
Alta petens, Nemees ibit Sol obvius aſtro.
Tu ne cede operi, ſed contra audentior inſta:
Haud effœta novos tellus exercita partus
Fundet adhuc: Matura ſuos (15) Fragaria fœtus
Mittet, odoratas erecta (16) Lavendula ſpicas,
Laurus (17) ovans baccas; calidum (18) Naſturtia ſemen.
Frondebunt (19) Malvæ; ſapidum frondebit (20) Aniſum,
Marrubiumq; (21), Botryſq; (22), racemiferumq; (23) Equiſetũ,
Menthaq; (24), Serpyllumq; (25), & olentis germen (26) Anethi.
Ipſe ſuas etiam Tibi ſubdet (27) Amaracus umbras,
Alceaq; (28), & fervens (29) Tanacetum, & (30) Parthenis ægris

Gra-

---

1 *Ital.* Giglio. *Hetruſc.* Fiordaliſo. 2. Fiorcampeſe, ò Battiſecula, *Hetruſc.* Fioraliſo. 3. Peonia. 4. Camomilla. 5. *Hetruſc.* Iſapo, ò Iſopo. 6. *Hetruſc.* Indivia, ò Endivia. *Noſtr.* Scarola. 7. *Ital.* Atriplice. *Hetruſc.* Atrepice, ò Trebice. 8. *Noſtrat.* Lampazzo. *Hetruſc.* Lapazio, ò Romice. 9. *Noſtr.* Papagno. *Hetruſc.* Papavero. 10. *Hetruſc.* Artemiſia, ò Matricale. 11. *Officin.* Scordio, *Aliis.* Querciuola paluſtre. 12. Alchimilla, ò Stellaria, ò piè di Lione. 13. Liguſtro. *Aliis* Guiſtrico, ò Olivetta. *Patavinis* Conaſtello: 14. *Plantæ penores menſe Julio provenientes.* 15. Erba delle fragole. 16. Spigo Nardo Italiano; ò Lavandula. 17. Lauro, ò Alloro. 18. Agretto, ò Naſturcio. 19. Malva 20. Aniſo. 21. Marrobbio, ò Praſſio. 22. Specie di Ambroſia, ò di Atrepice. 23. Coda Cavallina. 24. Menta. 25. Serpillo, ò Serpollo. 26. Aneto. 27. *Ital.* Majorana. *Hetruſc. etiam* Perſa, ò Sanſuco. 28. *Aliis* Malva ſalvatica. *Aliis* Canape ſelvaggia. 29. Tanaceto, ò fior d'Africa. 30. *Herba, quaſi virginalis, quòd morbis mulierum uterinis medeatur.* *Ital.* Matricaria, ò Artemiſia minore.

Grata puerperiis, duro (1) Caſſytha lieni.
Nec (2) ceſſabit inops, ſeu cum Canis æſtifer arva
Findet hiulca ſiti, ſeu cum ſua brachia contra
Cedentem Erigonen propellet Scorpius, ipſi
Pampineo gravis Autumno, brumamq; reducet.
Nempè virens Nemeæ contrà frondentis alumnum
Stabit honos, contràq; Canem, chelaſq; ſequentes.
Scilicet (3) Euphraſiæ cernes hinc ſurgere germen,
Gratum oculis germen, pictumq; videre juvabit,
Quod juvat, ut videas; illinc turgeſcere (4) Rapi
Utile Variolis ſemen, cordiq; ſalubre
Dulce (5) Meliphyllon, (6) Raphaniq; ignobile gramen.
Verbaſcum (7) incanâ ſparget lanugine barbam,
Et viridem flavo decorabit flore ſenectam.
Unà etiam exponet faciles (8) Ulmaria crines,
Solanumq;(9), Ammiq;(10),(11)Molucaq;(12) Peucedanumq;.
Cnicus (13), & huic ſuppar (14) Aſclepias, utraque caule
Hirſuto aſſurgens ſtirps alma; aſt altera morbis,
Altera Gorgoneis Radice infenſa venenis:
Illa breves acuens foliorum è margine ſpinas,
Iſta tuum ſiliquis imitata, Ciconia, roſtrum.
Nec minor arboreo generi, torrente ſub æſtu,
Luxus erit: gravidæ major tum gloria (15) Citro,
Juglandi (16) major; quin & tunc (17) Punica Malus
Ritè coronato ſubmittit cortice fructus
Lætior; arboreo tumet ambitioſa triumpho
Quercus, Apollineæ non arbor inutilis arcæ.
Quid referam, Tibi fertilior quæ munera mittet
Autumnus? non illum uno ſuffuſa Lyæo.

O 2 Com-

1. *Hetruſc.* Cuſcota, ò Cuſcuta. 2. *Plantæ potiores Auguſto menſe, & Autumno inſequenti provenientes.* 3. *Ital.* Eufraſia. *Herba oculis ſaluberrima; unde Germanis dicta Oculorum ſolatium.* 4. Rapo. 5. *Aliter Meliſſa.* *Hetruſc.* Appiaſtro, ò Citraggine. 6. *Hetruſc.* Rafano, ò Radicchio. 7. Verbaſco, ò Taſſo barbaſo. 8. Ulmaria. 9. *Hetruſc.* Solatro. 10. *Officinis corruptè* Ameos. 11. Specie di Meliſſa, ò Cetronella. 12. Peucedano, ò Finocchio Porcino. 13. Zaffarano Saracineſco. *Aliis* Cardo Santo. 14. *Officin.* Vincitoſſico. 15. *Hetruſc.* Cedro, ò Caderno. 16. Noce. 17. *Noſtr.* Granato; *Hetruſc.* Melagrano.

Commendant (1) Vineta, (2) Pyruſve, aut pignore [3] Malus
Ipſa ſuo curvata: ſuas quoque parturit herbas
Pœonias, mediciſq; penum proventibus auget.
Nimirum hoc patriis carpendum tempore ſurgit
Myriophyllon (4) aquis, ſpicis ſeù purpuret altis
Pennatum, ramoſa ferat ſeù cornua Caule.
Hoc, & ſtellato præſtat qui [5] Carduus ore,
Narciſſuſq; [6] Crocuſq; anceps, atq; [7] Atticus Aſter
Cæruleus, tortoſq; fugans [8] Calamintha chelydros.
  Sic æſtas tibi grata ſuas dabit ordine ſtirpes,
Autumnuſq; ſuas; ullo nec tempore ſegnis
Impenſas unquam Tellus fruſtrabitur artes.
Quippe laborantis ſentit Cultoris amicam
Illa manum, atq; avido reſpondet grata Colono.
Sæpè etiam officiis certat, ſimiliſq; moranti
Non expectato meditatur grandia partu.
  Haud veris majora cano: Regalibus olim
Ipſe (9) mihi titulis magnus, majorq; relictis
CAROLUS Auſtriades teſtis. Jam faſcibus ille
Sponte reſignatis, Fortunæ nobilis exul
Ipſe ſuæ, ingentes, geminum queis rexerat orbem,
Jam ſuus, in parvum curas traduxerat hortum.
Hic Veris pubem auricomam, pictamq; juventam
Sectis ponendam areolis, ſparſimq; ſerendam
Curabat, bello qui formidatus, & armis
Florentes nuper deduxerat ære catervas:
Quæq; olim imperio clarus ſuprema volentes
Per populos latè dederat, nunc mollibus herbis
Jura dabat; nec raſtrum illâ tractare pigebat,
Tractarat quâ ſceptra manu. Gratata Colonum
Ipſa ſibi tantum, Tellus majora, ſuperbo
Caule, triumphali reddebat germina dextræ.

Pors

---

1. Vigneto: 2. Pero. 3. Melo. 4. Millefoglio aquatico, Impennacchiato, ò Corniculato. 5. Cardo ſtellato. 6. Narciſſo, e Croco d'Autunno. 7. Aſtro Attico à fiore azzurro. 8. Nepitella. 9. *Digreſſio in Lilium, quod ſatum manu CAROLI V. Cæſaris, abdicato imperio, ea ipſa nocte, qua ipſe fato conceſſit, intempeſtivè effloruit, portentique loco habitum fuit; ut refert Fam. l. 1. de Bello Belg. paulò poſt initium.*

Fors etiam florum petalis inſcribere Regum
Non ignara notas, tanti tùm nomina Regis
Inſcribebat ovans, foliumq; auctore notabat:
Non ullus certè Tanto Cultore creatus
Flos aderat, qui non poſſet traxiſſe videri
Nomen ab imperio, & meritam oſtentare coronam.
Forte alios inter formâq;, ſituq;, decoros
Ille ſui ſpecimen candoris lilium, & ingens
Hortorum decus excultis mandaverat arvis.
Nec durum imperio germen fuit: extulit alto
Caule ſtylos geminos, Regali haud ſimplice partu
Blanditum Agricolæ, fato ſed diſpare crevit.
Nanque illorum alter, Tauro lucente, recluſum,
Ut ſolet, explicuit florem; ſed durior alter,
Arte laceſſitus quamvis vernaret eâdem,
Haud tamen indulſit ſeſe, totoq; recuſans
Vere, ſimul totâ durans æſtate, tumorem
Jamdudum inceptum, partus & ſigna propinqui
Suſtinuit, ſerumq; volens extraxit in annum:
Cum tandem quâ nocte ſuo ſe Corpore Magnus
Auſtriades exolvit, hians ſimul ipſe repente
Folliculo, longæq; moræ faſtidia rumpens
Intempeſtivum promiſit germine florem.
Scilicet hoc voluit tellus non immemor ortu
Teſtatum obſequium. Tùm quippe refloruit ingens
CAROLUS, æthereis alter Flos additus hortis.
Felix ſorte ſuâ, cui vitæ exempla peractæ
Innocuo jam fine, nitens lactente probavit
Flos candore, nives referans ſine labe comantes.
Ne quis, ne poſthac mihi Te, Convolvole, prodat
Dulce rudimentum Naturæ argentea quondam
Lilia adumbrantis, cum ſe ad majora pararet.
Ipſa rudimentum Naturæ veriùs, ipſa
Lilia fas dici, Auſtriacam inſignire parantis
Virtutem, & meritas tollentis ad æthera palmas.
Sic quod Apollineis non evitabile fatum
Haud potis eſt plantis Tellus avertere, ſaltem
Exornat, grataſq; vices memor uſque rependit.
Nos ità Munificæ tanta indulgentia Matris
Haud moveat, ſtudiiſq; ultrò aſpernemur iniquis?
Heu! cæcas hominum mentes, & neſcia flecti
Pectora! quin potius cruda hinc in vulnera ferrum

Ex-

Extrahimus, ferroq; habiles in ſpicula pennas
Addimus, & cæco imbuimus ſine more veneno.
Scilicet in miſeros quò Mors procul ocyſus iret,
Fecimus aligeram, atq; eadem quaſi Triſtibus eſſet
Non ſatis una nocens, mortes geminamus acerbas.
Hinc rixæ, hinc fraudes, hinc plurima ſævit Enyo,
Tot ſcelerum facies; nec jam vernantibus hortis
Ullus honos: ſqualet Phœbei gratia ruris,
Proq; ſatu florum ſtrictis ſeges enſibus horret.
Hîc Rhenus fervet, dubiis hic Viſtula lymphis,
Hîc novus aërias bello quatit Annibal Alpes.
Adverſæ excurrunt acies: Mars omnia turbat,
Ut cum cæca diem rapuerunt nubila, rauco
Miſcetur tonitru cœlum, atq; è nubibus atris
Fertur hyems effuſa, modum nec fulmina ſervant.

Finis Libri Tertij.

BOTANICORUM.

LIBER IV.

Sed jam Pæonios quâ ſit noſcendus in uſus
Inſitus herbarum fibris vigor, aut ſibi qualem
Morborum faciem vigili petat arte domandam
Explorare jubet res ipſa. Hoc reſtat agendum,
Cui cura agreſtes generatim evoluere mores,
Atque poteſtates, ſævàque orbare ſecuri
Atropon, & reduces fuſis involvere Soles.
Extremam hanc, Botane, Vati ſine carpere laurum;
Ignarumque viæ deduc, ubi dædala frugum
Omniparens infoſſo altè telluris in antro
Herbaſque, & flores, animas procudit olentes,
Multigenos, vitæque volens inſpirat amores;
Et circumfuſam rebus da vincere noctem.
Tuque ades, inceptumque iter in declivia mecum
Perſequere, ò decus, ô noſtræ lux inclyta Muſæ,
Ambroſide, affuſaſque diem molire per umbras.
Non ego tam cæcos auſim penetrare receſſus,
Non mihi ſi totus cœlo ſe impendat ab alto
Cynthius, aut Chiron, Amithaoniuſque Melampus
Hùc adſint: primos fas ſit tentare malignâ
Luce aditus, magnis & commendarier auſis.
Seù (1) quis lenta diù queſtus jejunia victum
Poſcit hians, ſeù quis morborum in damna medelam,
Haud alias, quàm ſponte ferax quas terra miniſtrat,

Quæ-

1 *Plantarum uſus expenditur; qui quidem latiſſimè patet, & in omni vitæ parte occurrit.*

Quærat opes. Hîc alma penû ſe divite jactat
Natura, atque hominum totos ſe laxat in uſus.
Munditiës (1) hinc grata epulis,ſimplexq; voluptas
Hinc ſyncera magis, longèque ſalubrior, hauſta
Quàm quæ non unâ pecudum de cæde laceſſit
Ambitioſa famem, & luxu ſibi fumat opimo:
Non (2) alio certè victu felicius ævum
Mortales duxiſſe ferunt priſci ante Noëmi
Secula, primæva ſub tempeſtate, prius quam
Abruptis Thetis irrueret ſuper ardua frænis
Culmina, & effuſo cœlum deſcenderet imbri.
Ipſa ſuas largè Tellus inarata ferebat
Sponte dapes, ſtomacho nec dedignante pigebat
Chaoniam viridi glandem fregiſſe ſub umbrâ.
Annorum (3) tamen uſque ferax, & neſcia morbis
Cedere tunc ætas ſenio indefeſſa vigebat,
Seculaque invictæ nebant Tithonia Parcæ.
Nunc Elementorum ſpoliis, & Phaſide totâ
Vix contenta fames ævum contraxit, & uno
Sæpè gulæ ingenio fatis damnamur acerbis:
Nec pudet indignâ nitidum tumulare saginâ
Florem ævi, & nimio fata ipſa accerſere luxu.
Heù fruſtrà in ventos geniis impenſa ſuperbis
Naturæ ſtudia, & pecudum deſerta palato!
Nec (4) verò illa uni plantarum munere ventri
Provida conſuluit,reliquæ quoq; commoda vitæ
Hinc alit, hinc curat, ſubditq;, fovetq; viciſſim.
Hinc ad veſtitum molli canentia lanâ
Æthyopum nemora, & foliis quæ tenuia Seres
Vellera depectunt, ſubicit; linoque ſubacto

Dat

---

1. *Primò quæcunque ad victum neceſſaria ſunt, è locupletiſſimo ſuo penu abundè ſuppeditant. Quanto ex iis menſa innocentior, mundior, ſalubrior, quam ex animantium cæde, ac laniena?*
2. *Certè non legimus homini ante diluvium carnes ad eſum conceſſas:*
3. *Tamen olerum, atque herbarum victu longè felicius, ac diutius ævum agitabatur, quòd nunc brevius, & contractius nimia abdominis indulgentia.*
4. *Haud verò victum dumtaxat nobis plantæ ſufficiunt, ſed & veſtitum, & domicilia, aliaq; ædificia, & navigia, & ſupellectilem, & focum, & oblectamenta ſenſuum, animiq; uſq; ad delicias.*

Dat faciles lento deduci pectine telas.
An quæ ſubmittit laqueata in tecta, domoſque
Commemorem Tabulata? focis an larga reponit
Quæ crudam victura hyemem ligna eruta ſylvis?
Hinc etiam caſus ſæpè inſpectura marinos
Montibus ex altis liquidas deſcendit in undas
Uncta abies, & utrique refert commercia mundo.
Denique vix quidquam eſt vitæ civilis in uſus,
Deliciaſque, fato quod non deſcendat abundè
Plantarum è cenſu. Hinc ſplendet tàm multa ſupellex,
Tam lauta: hinc oculos variorum errore colorum,
Aſpectuque beant nitidi, blanda agmina, flores.
Quantùm animos, ſenſuſque levat, quæ mollior inde
Aura movet, nareſque afflat gratiſſima! quantùm
Objectus recreat paſſim viror! obvia latè
Conſita ſeù ſylvis pandat ſe ſcena coruſcis,
Argutumque nemus; ſeù lenta umbracula nectat
Sole ſub ardenti, & frigus ſubtexat opacum.
  Quid (1) referam quàm multa ſuâ compendia Palmâ
Gangaridæ repetant? Una eſt hæc arbor, at amplam
Una penum facit, una implet Navalia, magnum
Una nemus, multæque virens una Arboris inſtar.
Quippe hinc & dulci, mutato & ſpumea Baccho
Pocula depromunt, hinc preſſi candida lactis
Munera, Palladiumque oleum, Braſilûmq; pruinam
Sacchaream, & duro veſcos ſub cortice fructus.
Nec tantùm hæc: fila hinc etiam ſubtilia ducunt,
Fila, & Acus, nec non phrygiis certantia villis
Lintea, & intextas facili ſubtegmine veſtes.
Cymbiaque, & vario quæ docta toreumate fingit
Vaſa Myron, ſtoreaſque, umbræq; obtenta parandæ
Tegmina, deductainque Medullæ è parte papyrum.
Quod verò mirere magis, Navalibus omnem
Materiem profert hæc una, atque omnia ſupplet
Inſtrumenta, Ratis queis ritè inſtructa profundum
Latè obeat, totis & fulgeat armamentis.
Nanque alto è trunco, ramiſque extantibus ultrò

1. *Eminet in primis larga iſthac Naturæ munificentia in Palma Indica Coccifera, cujus multiplex uſus, & mirabiles carptim deſcribitur; ut ex plurium Authorum fide commendatur apud Rajum t. 2. Inſtit. Plant. p. 1357.*

Aſſamenta parant, clavoſque, & robore Malum
Erecto ingentem; ſylvoſa è fronte revulſam
Convertunt in vela comam; villoſa rudentes,
Liciaque in laterum ſuturas apta, miniſtrant
Obducto tomenta tegunt quæ Carcere fructus,
Obvoluuntque novo patrium munimine Coccum.
Et ne quid deſit, quo ſic extructa marinum
Carpat iter ratis, & curvâ ſecet æquora puppi,
Ipſo onerant Cocco, ſibi quem jam protulit ipſa
Pridem Arbor: ſic illa Maris vada cærula tranat,
Nil opis externæ cupiens, nil indiga laudis,
Ipſa ſibi merx, ipſa Ratis: mirantur euntem
Nereides, mollique inſternunt æquora curſu.
Sunt [1] nonnullæ alias quæ commendentur in artes
E' Plantis. Ventus qui flet, Caurus-ne, Notus-ne?
An Boreas, Zephyruſve, aut contra lætus Eois
Eurus equis? patrio diſcunt è germine Seres;
Nautica præſagâ vertet ceù Pyxis in herba,
Inque leves ſeſe abdat acus Magnetica frondes.
Ut [2] ſolido liquidum commutet Hydrargyron auro,
Quâ Phœbæ attollit ſacrum Lunaria Caulem,
Utitur expreſſâ Radice Ars Chymica; lecto
Flore, ut in argentum vertat. Tu Cautior artes
Has ne quære, ſuis ut agente in viſcera ſenſim
Naturam migrare velis è finibus igni;
Ni fumoſa tuis debes ludibria fatis.
Callidus his ſtudiis fraudum Cyllenius auctor
Non ſemel impoſuit, nova dum miracula ſpondet,
Ignaram obtendens in furta latentia Lunam;
Quam Laërtiadæ potius monſtravit Ulyſſi,
Utere laudatâ Moly virtute: reſolvit
Hâc ille, heù fatis quondam jactatus iniquis,
Cruda veneficia, & ſævas Titanidis artes.
Hâc, aliiſque ſinu Tellus quæ ſponte profundet,

Tu

1. *In alios etiam uſus nonnulla aut obſervantur, aut carpuntur planta. Vt de Sinenſi quadam herba memorat Martin. in Atlante Sinic., & Kirker in ſua China Illuſtrata uſui eſſe ad indicandam ſuis foliis Ventorum varietatem.*

2. *Sic etiam Lunaria flore utuntur Chymiſta, ut Hydrargiron, ſeù, quod vocant, Argentum vivum in ſolidum argentum vertunt; ejus Radicis ſucco, ut idem in aurum promoveant.*

Tu quoque morborum vires, & ſemina franges,
Si quis aget tortor fati rigor. [1] Hic venit æquis
Certior ex herbis, & commendatior uſus:
Mollior hic, trepidiſque accedens blandiùs ægris.
Et tantis almæ auxiliis, opibuſque Parentis
Indubitamus adhuc? Stibiumque, & Sulphura, & acre
Sectamur Minium, & dubiis malè fidimus auſis?
At non optatæ hæc nobis via trita ſalutis,
Aut monſtrata Deûm auxilia, & data copia vitæ.
Herbarum nobis, herbarum munera, & almas
Ante alias miſeratus opes indulſit Apollo.
Quid cauſæ fuerit, trahit hac ab origine rumor.
Jam [2] Febrium terris poſt lucida furta Promethei
Ingruerat violenta cohors: non una profundo
Eluctata Erebo cæcas vulgaverat iras
Tetra lues. Sacro crudeſcens ſæviùs igni
Ibat [3] Eryſipelas, ibat flammata [4] Synanche,
Pleuritiſq; [5] ictu fodicans, morſuq; [6] Tenaſmus,
Et [7] Phthiſis, & [8] Phagedæna vorax, & torva [9] Nephritis,
[Terribiles viſu peſtes] [10] Strumæque, [11] Nomæque,
Et [12] Lienteriæ crudus labor, & lita tâbo
Phymata [13], mortiferâque tumens ærugine [14] Cancer,
Inquieſque [15] Iſchiadis dolor, & non ultima labes,

1. *Nullus verò plantarum uſus aut commendatior, aut frequentior, quam medicus ad morbos depellendos, ut quotidianis liquet experimentis.* 2. *Vnde uſus hic in vulgus primùm emanarit, è Promethei furto, atque indè evulgatis infinitis propemodum morborum generibus fabulosè repetitur; juxta illud Horat. l. 1. od. 3. Poſt ignem atherea domo ſubductum, macies, & nova febrium Terris incubuit cohors.* 3. *Hetruſc.* Riſipola. 4. Squinanzia, ò Schinanzia. 5. *Noſtr.* Puntura, ò mal di punta. *Hetruſc.* Scarmana, ò Scalmana. 6. *Recti inteſtini mordicatio, qua tamen nihil, prater cruenta pauca, & mucoſa, egeritur.* 7. *Noſtrat.* Etticia. 8. *Vlcus, quod propinqua, & adjacentia exedit.* Ulcerazione maligna. 9. *Renum morbus, cum ſcilicet calculo, aut ulcere renes infeſtantur. Noſtrat.* Dolor di fianchi, ò di pietra. 10. Scrofole. 11. *Vlcera, qua depaſcuntur, vorantque ſerpendo, corpus.* 12. *Alvi fluxus, quo cibi penè adhuc integri deſiciuntur.* 13. *Inflammateria glandularum tubercula, mox erumpentia, & ad ſuppurationem tendentia.* 14. *Hetruſc.* Canchero, ò Carcinoma. 15. *Hetruſc.* Sciatica.

Aſthma [1] inteſtino torquens præcordia nodo.
Tum quoque,tum primum fœdis abſceſſibus horrens
Conceptam illuviem , deformiaque obtulit ora
Syphilis [2], ignituſque [3] Anthrax , turpeſq; [4] Mariſcæ .
Nec ſe continuit ſtygiis excitus ab antris ,
Aut [5] Elephas ſacer,aut [6] Polypus, aut ulcere [7] Lichen
Ipſe ſuo informis , ſenſimque erraticus [8] Herpes .
Obſtupuit Natura , tot una exterrita monſtris ,
Tot jactata , ambaſque levans ad ſidera palmas :
Heu ! quianam tantæ funeſtant æthera Diræ ?
Quidve , inquit , Jovis ira paras ? ſi perdere terras ,
Mortalemque ab ſtirpe ſedet convellere gentem ,
Fulmina quid cohibes ? quin me ſine more ruenti
Involvis nimbo , & vacuas diſpergis in auras ?
Æthereo extingui penitus præſtaret ab igne,
Quàm longos inter gemitus ſic ducere vitam ,
Si vita eſt , quam lenta trahunt tot funera . Vitæ
An ſpeciem torpentem ullam præferre putanda eſt,
Quam tot dilacerant infeſto turbine morbi ?
Quæ vacat exitio pars ? unà parte quod unum
Contentum exitium ? turmatim in damna recurrunt
Conjuratæ acies morborum , & prælia miſcent.
Nec modus , aut requies . [9] Verſatilis ira Dianæ
Nunc agit heu ! miſeram : nunc [10] lymphà intercute Najas
Diſtendit , craſsâque ſitim mage provocat undâ .
Ah quoties [11] pallente Croco color inficit ora
Non ſuus , inque novo regnat latè Icterus auro !
Viſceribus [12] quoties lapidoſam inoleſcere fæcem
Membra gemunt , tacitaque ſatas à Gorgone cautes!
Cætera quid memorem ? liceat nemus ante caducis
Diſcere quàm multis inſternat frondibus Auſter ;
Aut , ubi Neptuno Tempeſtas incidit atrox ,
Noſſe quot irati voluantur ad æthera fluctus .

Et

---

1. Aſma. 2. Morbo Gallico. 3. Antrace, Carbonchio. 4. Creſte. 5. *Hetruſc.* Elefantino, ſpezie di Lebbra . 6. *Tumor in naribus ſuccreſcens* . 7. *Morbi genus faciem præcipuè infeſtans* . Specie di Serpiggine, ò d'Impetiggine. 8. *Hetruſc.* Formica. 9. *Morbus Herculeus* , *ſeù Comitialis* . *Hetruſc.* Epileſſia , ò Mal caduco . 10. *Aliter Hydrops* . *Hetruſc.* Idropiſia . 11. *Icterus* , *Morbus Regius* , *ſeù Aurigo* . *Hetruſc.* Itterizia . 12. *Lithiaſis* , Dolor di calcoli.

Et vitæ hoc unquam munus rear? aut mihi lætum
Luce frui ? ah tumulo potius me redde , Parentem
[Nam quam pulſem aliam votis moritura?]Parentem
Si quis amor tangit , generis nec Maxima noſtri
Diceris Ops Mater nequicquam , aut Numine terras
Vano imples ; tumulo potius me redde : dolori
Sic tandem ceſſiſſe juvet . Nec plura locutam
Neſcio quis ſubitò cohibet ſtupor : ægra reponit
Membra ſolo, mæſtumque facit dolor ipſe ſoporem.
At non Maternas [Matrem quid falleret?] aures
Infelix Natæ latuit dolor : Excita luctu
Extemplo in ſomnis viſa eſt ante ora jacentis
Prolis adeſſe Parens , animoſque his addere verbis.
Nata , quid indigno corrumpis lumina fletu ,
Crudeleſque Deos , crudelia ſidera morbis
Victa vocas?non id temerè quodcunq; malorum eſt,
Aut Divûm invidiâ , aut cæli ſine lege furentis
Obvenit vitio . Meritas has pendere pœnas
Ira Deûm jubet , atque animis infenſus Apollo ,
Ob raptos è cœlo ignes , furtumque Promethei .
Illo ex igne febres , illo exarſere nocentes
Quæ duro peſtes incendunt funere terras.
Quare age , tanta Tuæ ſi Te , Miſeranda, ſalutis,
Cura tenet , votis ipſe exorandus Apollo eſt.
Hinc , unde infeſtis venit immedicabile telis
Vulnus , & auxilium veniet , certumque juvamen.
Ergo ubi Phœbæam referet mox lampada terris
Orta dies , lauro crepitante , & thuris acerrâ
Thymbræum Numen venerare , & fraude receptus
Hic Tibi , dic , Ignis crepitat , Tibi fumat , Apollo,
Et Magnæ Arabiæ, & Daphnes Tibi ſacrat honores.
Hic , hic , crede mihi , memori ſub corde recurſans
Flectet amor Daphnes infenſi Numinis iras :
Annuet ; auxilioque volens , opibuſque juvabit.
Rumpe moras ; haud te fallax illudit imago:
Illa ego ſum, genus unde refers, Ops Maxima,votis
Implorata tuis , nulli non æqua labori.
Sic ait , omniferoſque ſinus , vultuſq; revelans
Maternos denſis altè ſe immiſcuit umbris.
Extemplo excuſſus Miſeræ ſopor: ardet , & almum
Sic Numen victo ſupplex venerata dolore eſt .
O! ſequor , ò quocunque vocas , fidiſſima noſtri

Spes

Spes Genitrix, noſtros nunquam fruſtrata vocatus:
Accipio venerandum omen. Tum Gangis ab undis
Phœbus ubi reducem nitidâ ſe luce retexit,
Mandata exequitur; laurumque, & thurea ſacrat
Dona focis: atque hanc, inquit, ſuper igne crepantem,
Phœbe, Tibi inſignem laurum, nubemque ſabæi
Thuris odoratam voveo. Jamque acta volabant
Nubila, cum ſuperas vox exaudita per auras:
Ne trepida ulteriùs, duris exercita morbis
Infelix Natura; Tuæ dant æqua ſaluti
Fata viam. Meritæ frangas quo triſtia mortis
Semina, Maternos poſthac felicibus orſis
Perſcrutare ſinus: illinc pubentia vitæ
Pharmaca fas legere, & furialem eludere Clotho.
Ipſe tuis jam nunc fatis haud aſper Apollo
Ignoſcens, illos fæcundat, & apta laceſſit
Germina, pacatoque iterum te Numine firmat:
Sic ait, atque ingens ingenti pignore ſignans
Promiſſum, mediis ſecuit ſub nubibus arcum.
Extemplo firmati animi; ſimul ægra ſupinas
Omniparens palmas tendens ad ſidera, clarum
Ter frugum Auctorem venerata, ter oſcula Magnæ
Libavit Matri, & meritos perſolvit honores.
Mox factura fidem, caules avido ungne comantes
Herbarum carpens, miſeræ ſolamina vitæ
Applicuit. Mora nulla, redux in tabida ſenſim
Serpere membra ſalus, & vi fulcire labantem.
Ex illo tanta eſt herbis Reverentia, tantus
Auctus honos, ut jam nullus ſit crebrior uſus,
Quàm qui tàm bene Pæonias ſuccedit in artes.
Ipſa animos Tellus, & mitior afflat Apollo.
Ergo (1) Te ſi quis furtivo in prælia fati
Caſus agat morbo, hinc dubiæ tibi præcipe vitæ
Certus opem: (2) Non ulla potis Te Carpere morbi
Sævitia, adverſæ cui non medicamine ſtirpis
Sit cautum; ſuperant etiam ſua monſtra medelæ.

Cer-

(1) *Herbarum igitur uſus ad morborum remedia plurimi faciendus.*

(2) *Commendatur autem hic eò magis, quòd nullum ferè ſit morborum genus, cui adverſo herbarum medicamine conſultum abundè non ſit. Quinimò ſuperant morbos ipſa remedia.*

Cerne (1) quot innatis horrentem cautibus unam
Lithiaſin contra validis glomerata maniplis
Germina ſe tollant: illam ſibi poſcit (2) Anonis
Frangendam, poſcit (3) Jobi ſibi lacryma rore
Læta ſuo, (4) Ruſcuſq; rigens, (5) Crithmumque, (6) Siumq;
Canaque per riguas quærenda (7) Siſymbria valles.
Ipſa etiam (8) Malvæ, ipſa etiam ſtirps utraque (9) Lappæ;
Et (10) Siliquâ pedis inſtar avis quæ gaudet, in illam
Immitti cupit, & viridi decernere Marte.
Adde cavi vires (11) Cotyledonis, adde (12) Cyperi,
Artemidiſque (13), Opuliq; (14), expallentiſq; (15) Geniſtæ;
Et quas (16) Fungus iners, & quas fert (17) Ziziphus, & quas
Verbaſcum (18), Porrumq; (19), & barbigerũ (20) Tragopogon.
Anne (21) Coronopodis ſubdam genus acre? virentis
Anne (22) Lithoſpermi, duro quod ſemine cautem
Lucentem aſſimulans, paribus ſeſe inſtruit armis?
Vos quoque, vos ſaxis, & opacis adſita muris
Hinc vires contrà lapidoſam (23) Aſplenia fæcem
Hauritis, morſuque latus carpente levatis.
Quid? quod (24) Erica etiam geſtit concurrere? Quid? quod
Portulaca (25) etiam, (26) Rhamnuſq;, & molle (27) Thalictrum,
Aſpa-

---

(1) *Liquet id in Lithiaſi, contrà quam unam innumera praſto ſunt ex herbarum virtute remedia. Talia ſunt è Proſopopaja Botanica Virgilij Falugi, & Enchiridio Medico Jodoci Harchij Montenſis, aliiſque.* 2. *Vulgò* Arreſta bue. *Officinis* Anonide. 3. Lagrima di Giobbe. 4. Ruſco. *Hetruſc.* Pugnitopo. 5. Finocchio marino. 6. Gorgoleſtro. 7. Siſimbrio, ò Menta ſelvaggia. 8. Malva: *aqua ex ipſis deſtillata.* 9. *Hetruſc.* Lappola maggiore, e minore. 10. Piè d'Uccello, *è ſiliqua avis pedem referente.* 11. Umbilico di Venere. 12. Cipero. 13. Artemiſia, ò Matricale. 14. *Aceris, vel Corni ſpecies. Ital.* Opulo. 15. Gineſtra, *aqua è floribus deſtillata.* 16. Fongo, *præſertim lyncurius ad umbram exiccatus, & in pulverem redactus. Ital.* Fongo di pietra. 17. Giuggiola. 18. Verbaſco, ò Taſſo barbaſſo. 19. Porro. 20. Barba di Capra, *à prolixa lanugine, quæ è ſumme erumpit, ſic nuncupata.* 21. *Vulgò* Erba ſtella. 22. Miglio del Sole. *Lithoſpermum dictum à lapidea ſeminis duritie.* 23. Scolopendria. *Officin.* Ceterach. 24. Erica. 25. Porcellana. 26. *Offic.* Spina Cervina. *Hetruſc.* Spino Merlo. 27. Talittro.

Aſparaguſq; (1), Rubuſq;(2), Nigellaq; (3), Partheniumq;(4)
Atq;(5)Carũ,atq;(6)Rumex,atq;(7)Anthemis,atq;(8)Adiantũ.
Inſurgit radice (9) Crocus, (10) Gramenque, ſubacto
Cortice (11) Laurus, aquâ decocto è ſemine potâ
Abrotanum (12), Ceraſus (13) gummi, pendente Corymbi
Baccâ (14) Hedera adrepens, immortaliſque (15) Cupreſſus;
Perſica (16) contento Nucleo ſe Malus obarmat:
Solani (17) ſpecies acinis ſubit altera rubris.
At non ulla magis palmas tibi ſpondet opimas,
Quàm quæ perfracto toties ex hoſte recepit
Saxifragæ (18) nomen. Pratis viret illa, nigranti
Nixa foris Radice, albet quæ diſcolor intus,
Vivacemque trahit circum rugoſa ſenectam.
Guſtu etiam dulci eſt, mixtus quem temperat ardor
Acer, odorato ſimilis, ceù grata palato
Quo laudata ſuas nutrit Panchaïa fruges.
Plures hinc cubitum ſuprà ſeſe undique caules

At-

---

1. Aſparago. 2. Rovo. 3. Nigella. 4. Artemiſia, ò Matricaria minore. 5. Carvio. 6. Lapazio, ò Romice. 7. Camomilla; *quæ pota tanta efficacitatis eſt ad calculos pellendos, ut, teſte Plinio, ſi calculus exemptus ex humano corpore ejus foliis involvatur, brevi diſſolvatur*. 8. *Hetruſc.* Capelvenere. 9. Croco, ò Zaffrano. *Hetruſc. etiam* Gruogo. 10. Gramigna. *Hetruſc. etiam* Guaime. 11. Lauro, ò Alloro. 12. *Ital.* Abrotano; *Hetruſc.* Abrotino, ò Bruotina. 13. *Hetruſc.* Ciriegio. 14. *Ital.* Edera, ò Ellera, *baccis ternis bis in diem ſumptis*. 15. *Ital.* Cipreſſo, *baccis in pulverem ſubactis*. 16. *Ital.* Nocciolo di Peſco. 17. *Officin. Alkakengi; ſeù Solanum Veſicarium, cujus acini rubei Veſicis incluſi, vel in pulverem redacti; vel diſtillati, & epoti mira pollent facultate in frangendis renum lapillis; ut author eſt Harch. in ſuo Enchirid. p. 234. Hetruſc.* Solatro Alicacabo. 18. *Peculiaris fit Saxifragæ mentio, quæ deſcribitur per partes ex Rajo tom. 1. Hiſt. Plant. pag. 453. Quamvis non ignoremus, & alias eſſe Saxifragæ ſpecies, quæ nonnihil habitu differunt ab ea, quæ hic deſcribitur, ut videre licet apud eundem Rajum loc. cit. & Jodoc. Harchium in ſuo Enchirid. p. 235. Sit etiam Saxifraga Aurea, quæ ſub Chryſoſplenij nomine à Turnefortio deſcribitur; & Saxifraga Rubea Officinarum, quæ rectius Filipendula, ſeù OEnanthe à Botanicis nuncupatur. Quæ tamen omnes ſua non deſtituuntur virtute ad renum calculos expellendos.*

Attollunt, teretes caules, fartique medullâ,
Virgatique ſtriis, imâ qui parte rubentes,
Continuò in ramos abeunt, ſylvamque comantem.
Glabra virent folia ex atro, diſſectaque longo
Margine cûſpidulis circùm radiantur acutis.
At ſummos caules, ramoſque ſubalbidus aptam
Sparſus in umbellam laxo flos tegmine claudit
Rarior, & plantæ faſtigia læta coronat.
Succedit flori ſemen breve, lenè ſtriatum,
Fronte rubens primùm, mox rufo inſigne colore.
Hanc (1) viridem quondam in ſpeciem migraſſe Puellam
Atlantis Magni Neptem fert Rumor: Ut altum
In montem portentificæ vi Phorcidis illa
Verſum vidit Avum, devovit Perſea diris,
Gorgona devovit; rupeſque exoſa rigentes
Effuſo ubertim voluiſſet frangere fletu.
Fata negant. Ergo, potuit quod flebilis unum,
Conſpectu è miſero ſe longe avertit, & æqua
Prata per, & campos amiſſum inclamat Atlantem,
Atlantem poſcit, lacrymiſque indulget amaris.
Dum queritur, tellure pedes cœpere teneri,
Radicemque agere, & tenerum promittere caulem;
Nam conſanguineos luctus miſeratus, in herbam
Illam Atlantiades mutato cedere vultu
Juſſit, & infenſam duris vernare lapillis.
Hinc (2) procul inviſis vel nunc è montibus exul
Prata amat, hærentemq; humano in viſcere cautem,
Si qua ſubeſt, ſucco, decocto aut ubere, parvi
Seminis aut pinſi tenui ſcobe, frangit, & ultrò
Tritam abigit, fati vindex inſignis aviti.
Hanc meritam ob laudem, & palmæ decora ardua, nomen
Quæ Seſeli pridem fuerat Pratenſe vocata,
Saxifragæ obtinuit, proprioq; notata triumpho eſt.
Quale olim Libycâ victori è clade ſuperbum

1. *Memorata planta Virtus fabula adumbratur, & cur in pratis, & paſcuis humidioribus ſit frequentior.*
2. *Spectatiſſima ejuſdem dos in atterendis calculis, & expellendis, vel ſucco, vel decocto planta unà cum radice, vel aqua deſtillata, vel ſemine in pulverem contuſo. Unde Saxifraga nomen obtinuit.* [*Hetruſc.* Saſſifraga, Saſſifrâgia] *quæ tamen alio etiam nomine Seſeli Pratenſe à Rajo nuncupatur.*

Africa Scipiadæ nomen dedit, & ſua magnis
Acceſſit titulis reſono Victoria faſtu.
Haud (1) verò numero tantùm benè provida Tellus
Morborum illuviem contra, viruſque nocentum
Proderit: ipſo etiam inſtanti diſcrimine rerum
Solicitam experiere: vides ut (2) Fraxinus, atris
Arbor hydris adverſa, maliſque inimica colubris
Ante ſuos flores vernas exponat ad auras,
Quam lethale genus patriis erumpat ab antris;
Nec ponat folia alma, ſuis ni turba recondat
Squamea ſe latebris, & apertos liberet agros?
Quin (3) tempus ſub idem, cum puri ad lumina Solis
E' caveis pictos vernus tepor evocat angues,
Caule virens tenero, mora nulla, Dracunculus exit,
Inſtantiſque mali, quod formâ, & nomine prodit,
At virtute cavet, fraudum ſecurus Agreſtes
Præmonet, incautis idem medicamen, & index:
Conditur & rurſum, cum ſe fera noxia condit.
Quod (4) ſi Theſſalico quandoque imbuta veneno
Ignaram nocuo inceſtet ſtirps germine Matrem,
Haud illam hæc patitur vernare impune, pheræamq;
Evulgare luem, & virus lactare malignum,
Protinus appoſitâ ſuccurrit ſtirpe, ſuperbos
Caſtigatque animos, & caulem caule coërcet.
Plurimus & Rhætos montes Napellus, & Alpes

Inſi-

---

1. *Nec tantum provida, verum etiam ſolicita eſt in diſponendis opportuno tempore herbarum remediis Natura.*
2. *Illuſtratur id Fraxini exemplo, Hetruſc.* Fraſſino, *quæ ſerpentibus infenſiſſima maturatè floret, ante quam illi ſuis erumpant è latebris, nec folia ponit, niſi in eas iterum ſe receperint.*
3. *Id etiam oſtendit Herba illa, cui Dracunculo nomen apud Plin. t.3.l.25.c.1, Ital.* Dragoncello, *quæ caule verſicoloribus viperarum maculis variegato ad primas ſerpentium vernationes è terra emergit, rurſumque cum iiſdem in terram ſe condit. Vel hoc per ſe ſatis officioſe Naturæ munere, ut loquitur Plin., ſi tantum præmoneret, tempuſque formidinis præmonſtraret.*
4. *His accedit, quòd ſæpè ubi noxium aſſurgit germen, alio Alexipharmaco Natura præſto ſit. Sic ex Ruell. t. 2. General. Hiſt. Plant. p. 1747. in Rhetia, ac Sabaudia Alpibus propè Napellum Anthora aſſurgit, quæ adverſus Napelli venenum remedio eſt præſentiſſimo; ſiliquas licet, & ſemen habeat Napello ſimilia.*

Inficit Allobrogas? vernat quæ proxima præſto eſt,
Et ſiliquas ſimili mentita, & ſemina partu,
Anthora, præſidiumque ſuis Radicibus offert.
Sic (1) etiam quà fluctivago jacet Inſula ponto
Fernandæa, arbor, Lauro par, noxia ſurgit;
Nam ſi fortè oculis vulſas apponere frondes
Tentet iniqua manus, tenebris ſuffuſa repente
Caligare acies, & opacam obducere nubem
Incipit, inviſamque umbris accerſere noctem.
Hanc tamen, hanc Arbor juxtà viret altera, cujus
Expreſſo è foliis redit interceptus amicæ
Lucis amor ſucco, ſolemque, diemque reducit.
Hanc (2) olim in ſedem fertur delatus Apollo
Ventorum arbitrio, & primus ſubiiſſe periclum;
Nam falſæ aſſimili deceptus imagine Daphnes,
Dum ruit optati amplexus in ſtipitis, & ſe,
Splendenteſque oculos mentitis frondibus abdit,
Degeneri ſenſit nutare micantia niſu
Lumina, & inſolitâ frontem livere ſub umbrâ.
Reſtitit, eluſoſque manu averſatus amores,
Hærenti propius vellens è caudice frondes
Conniventem aciem ſucco ſublevit, & omnem
Diſpulit extemplò nubem, lucemque retexit.
Ex illo plantæ foliis impreſſa remanſit
Infuſo præclara die vis illa, perennat
Quæ viroſæ oculis vel nunc contraria Lauro,
Adverſamque umbram vicinâ corrigit umbrâ.
Ergo (3) age, pæoniiſque herbarum viribus audax,
Si qua laborantis vitæ cuſtodia cordi eſt,
Utere, nec rapidæ dubites obſiſtere Clotho.
Ut (4) tamen herboſæ ſua conſtet gratia pubi,

1. *Sic etiam in Inſula Fernandæa juxta Arborem virulentam Lauro ſimilem, cujus folia oculis admota nubilum quoddam inducunt, ac propè excæcant, altera aſſurgit Arbor, cujus expreſſo è foliis ſucco interceptus oculorum uſus reſtituitur; ut teſtatur. La Breſſe l.2.de Plant.c.6.*
2. *Idipſum fabula exornatur.*
3. *Liquet ex his quàm longè aliis anteponendus ſit in rem medicam herbarum uſus.*
4. *Vt tamen eventus voto reſpondeat. Tenenda primùm germana, ac genuina quæſita plantæ ſpecies.*

Optatiſque diù veniant inde apta medelis
Munera ; principio ne te forte obvia plantæ ,
Aut forma , aut formæ ſimulata inſignia fallant ,
Admoneo : ingeniis perſæpè ſagacibus anceps
Impoſuit Natura , ſuos dum dædala fingit
Indiſcreta ſatus , & ſe quoque fallit in illis.
Nam [1] neque ſeminibus genitalis ubique locorum
Vis eadem, ſemper nec ſors eſt frugibus una.
Hîc læta antiqui generis decora inclyta ſervant,
Degenerant alibi ſuccos oblita priores.
Sæpè [2] alios habitus , alienæ & ſymbola formæ
Aſſimulant , falluntque fidem, Induntque legentes.
Nonne [3] vides foliis ut ſe Plantaginis ornat
Mentitus quandoque habitum Ranunculus ? ut ſe
Induit in frondes Aconiti inamabile ſæpe
Geranium , vernantque Aſari Naſturtia cultu ?
Ut teneas igitur quæſitam in pharmaca ſtirpem
Ne [4] primo aſpectu capiare , & frondibus unis.
Aut [5] unis florum credas inſignibus : ipſi
Perſimili quandoque nitent molimine flores,
Ipſi etiam fructus , & ſemina . Cernis , ut æquo
Se florum textu ſinuoſa Cucurbita comat,
Ac fulcro advoluit qui ſe Convolvolus ? illinc
Semina dent geminâ propè circumducta figurâ
Salvia , Marrubiumque, Mariſque Machaönius Ros,
Felicique virens Betonica juncta Meliſſæ ?

Toe

1. *Aliquando ſiquidem locorum ingenio à nativa virtute plantæ degenerant.*
2. *Interdum primo fallunt aſpectu ; nihil enim in herbis frequentius , quam ut aliæ aliarum habitus induant , ac folia imitentur.*
3. *Quid enim uſu tritius , quam Ranunculus Plantaginis folio , Geranium Aconiti , Naſturtium Aſari?*
4. *Cavendum igitur ne ſola foliorum ſpecie capiaris in herbis deligendis.*
5. *Multo minus unis floribus , aut unis fidendum ſeminibus . Cucurbita ſiquidem , & Convolvoli flores ſunt planè ſimiles , plantæ autem longè inter ſe diſſidentes. Salvia pariter, & Marrubium, & Roſmarinus , Betonica etiam , & Meliſſa , cæteraque plantæ , quæ Verticillata appellantur, unicum genus conſtituerent , ſi ſola ſeminum ratio habenda eſſet.*

Totus [1] plantæ habitus foliiſq;, & floribus auctus,
Fœtu etiam, Radice etiam ſpectandus avitâ:
Sîc tibi conſtabit propriis quæ Teſſera ſignis
Diſcernit medicos ſua per diſcrimina Caules.
Seque notis Tibi ſic prodent gentilibus Herbæ.
Hinc [2] benè Limonium differre à Bellide diſces;
Bellidis aſſurgat foliis licet, & ſimul unâ
Leucoii de gente ſatas floreſcere ſtirpes;
Altera ſe quamvis, nomen quem prænotat, albo,
Purpureo, aut croceo comat ſeſe altera flore.
Hæc [3] ubi jam comperta, ſuis & planta tenetur
Indiciis, tùm fas demum tentare, poteſtas
Quæ parti ſit cuique, ferat quam quæque medelam.
Ante [4] tamen vis hæc certâ ratione tenenda,
Ne temerè ambiguas vitæ diſcrimine vires
Experiare, aliòque anceps cadat alea fati:
Noſſe juvet, quæ plura ævi ſuffragia virtus
Rettulerit, longo quæ jam præluxerit uſu.
Sunt [5] qui conſpicuis, reddunt quæ germina, ſignis
Argumenta trahant: his morbum ex arte domandum,
His clauſas plantæ ſignari in pharmaca vires.
Quid ſtrumis collum fœdè paſcentibus aptum
Præſidium [6] ferat, inquiris? Cognominis herba
Mon-

1. *Totus igitur plantæ habitus ſuis omnibus inſtructus partibus diligenter obſervandus, ut à potioribus, tanquam gentili quadam è teſſera, quæſita plantæ ſpecies citrà fraudem teneatur.*

2. *Sic diſces plantas aliqua cæteroqui parte affines disjungere; alias verò parte aliqua, folio nimirum, aut flore diſsidentes ad idem genus referre.*

3. *Comperta genuina plantæ ſpecie, tùm demum tentanda virtus.*

4. *Non temerè tamen aliena vitæ periculo id præſtandum, ſed uſurpanda ea, quæ probata jampridē fuerit, ac longo uſu explorata.*

5. *Refellitur hic eorum judicium, qui plantæ cujuſque facultatem è notis quibuſdam, ſignaturiſque plantæ ipſi, aut alicui ejus parti inditis cognoſci aſſeverant: Quibus nempè Planta cum parte aliqua corporis, aut morbo, ejuſve ſymptomate ſimilitudo, aut convenientia in figura, colore, textura, aliove attributo adumbratur.*

6. *Sic Scrofulariam, Ital.* Scrofularia, *facilè dignoſci medendis ſcrofulis natam; quia radices habet, quibus adhærent radiculæ, quaſi pilulæ; quæ ſcrofulas in collo naſcentes imitari videntur.*

Monſtrabit Radice notas; circum obſita parvis
Glandibus, & ſtrumas pilulis imitata rotundis.
Forte [1] venenato petiit te Scorpius ictu?
Ne multum, ne quære; minor Tibi certa ſalutis
Signa refert Clytie, curvo quæ flore figurat
Illius intentam meditata in vulnera caudam.
Sic alias aliis plantas prætendere ſignis
Quæ lateat virtus, cui ſint ſua dona medelæ.
At (2) licet id præſtent quandoque hæc ſymbola, certam
Corporis & partem ſignent virtute levandam,
Ne tamen his tu fide: carent his ſæpiùs æquâ
Quæ pollent medicæ ſtirpes virtute, neque almo
Quam gremio fovere, notis affinibus edunt.
Quot plantas inter titulo conſentur ovanti
Cardiacæ, Hepaticæque, rudi quin ulla figurâ
Hepatis, aut picti referant veſtigia cordis?
Adde [3] tot affictis rerum pubeſcere formis
Egregios caules, illas quin ordine raptim
Reſpiciant ullo, aut apto quidquam indice ſignent.
Renibus an quidquam, referunt quos ſemine, lentos
Phaſeolos prodeſſe putes? an gliſcere Cordi,
Aut Medicę ſtirpem Cochleatę, aut molle Corindum,
Quòd foliis vulgò illa ſuis, hoc ſemine Cordis
Præferat effigiem, & claro ſibi ſtemmate plaudat?

Fal-

---

1. *Sic Heliotropium minus, Hetruſc.* Clizia, ò Elitropia minore, *ad Scorpionis morſus valere; quia in ſumme Herba flos naſcitur, Scorpionis in morem recurvus.*

2. *Fallaciſſimum verò redarguitur h. m. judicium. Tum quia, utut aliquando ſigna iſthęc plantę virtuti reſpondeant; longè tamen major earum numerus eſt, quę certę alicui Humani Corporis parti, aut morbo ſalutares, h. m. carent ſignaturis, ut in Cardiacis, Hepaticis, ac Cephalicis multis pronum eſt oſtendere.*

3. *Tum quia plantarum plurimę pares rerum imagines exprimunt, ad quas tamen nullum prorſus reſpectum habent. Sic Phaſeoli. Hetruſc.* Fagiuolo, *Semina Renum, Medica Cochleata vulgatiſſima, Ital.* Medica Cocleata, *& Corindi, ſeù Piſi Cordati, Hetruſc.* Spezie di Solatro, *Semina Cordis effigiem præferunt, ad quę tamen referri nullatenus aut debent, aut poſſunt.*

Falleris,[1]his medicas quiſquis malè cautus in artes
Duceris indiciis: non hæc obnoxia dextræ
Pæoniæ monimenta virent; ſunt ludicra Veris
Gaudia, Naturæque joci ludentis in herbis.
Sic apibus ludunt florentibus Orchides; Hirci
Sic barbam ſimulat Tragopogon; Cornua, torquent
Quæ Fœnugræcum ſiliquæ; Genitalia quædam
Vaſcula, Paſtoris, formâ planè indice, Burſæ
Dant nomen, Vituli caput explicat Antirrhinum.
Quin tamen hæc ulli dubiæ ſint Pæonis arti
Indicio, aut ullum præſtent medicaminis omen.
Quid?[2]quod eas referunt interdum ſymbola partes,
Queis ſtirpes altè prætentum inſigne gerentes
Non modo non juſta proſunt virtute, ſed obſunt.
An [3] non pendentes peregrino è caudice fructus
Cordis in effigiem trudunt Anacardia? Cordi
Quis tamen hos putet auxilio turgeſcere? præſens
Virus alunt potius, quo mens correpta furentem
Penthea, vel ſcenis agitatum reddat Oreſtem.
Quàm[4]benè pulmoni ſimiles formamq; coloremq;
Et molle ingenium videas concreſcere fungos
Arboreos perſæpè; tamen præſagia formæ
Irrita theſſalico potius tumuere veneno.
Tu-ne [5] propinato Tithymali ex ubere lacte,
Quo nil ad ſenſum riget acrius, ubera ſiccæ
Juveris Altricis, ceſſantiaque arte laceſſas?

Ah

1. *Ludentis hęc potius Naturę rudimenta habenda ſunt; non ſecus, ac apes expreſſę in Orchidum floribus, Hircina barba in Tragopogone, Ital.* Barba di Capra: *Cornua in Fœnugręci, Hetruſc.* Fiengreco, *Siliquis: Burſa Paſtoris in Plantę Cognominis vaſculo ſeminali, Vitulinum Caput in Vulgari Antirrhino, & ſimilia, quæ nullo indicio ſunt ad rem medicam.*
2. *Ad hęc: plantarum quędam eas interdum Corporis partes repræſentant, quibus, non modo ſalutares non ſunt, ſed quam maximè adverſantur.*
3. *Sic Anacardij, Hetruſc.* Anacardo, *fructus Cor repræſentat; eſt tamen pernicioſus, ac virulentus.*
4. *Fungi aliquot arbores pulmones figura, colore, ac ſpongioſa mollitie ad unguem referunt; qui tamen maligni ſunt, ac veneneti.*
5. *Tithymalorum ſuccus acerrimus lacti ſimilis eſt; nemo tamen illum Nutricibus propinet ad lac augendum.*

Ah [1] fruſtrà indiciis his creditur : altiùs omnis
Herbarum virtus repetenda, & avita poteſtas.
Primus [2] Apollineos fruticum qui noſceret uſus
Davidides Superûm dono fuit. Ille virentum
Herbarum nimio quondam correptus amore
Luſtrare ingenia, & vaſtâ comprendere mente
Veris odoratam pubem, moreſque, genuſque,
His Sophiæ aggreſſus divinum flectere Numen.
O Dea, concentu unanimi quæ ſidera, & æquis
Naturam regis imperiis, & Numine torques;
Si Tibi Taurorum millenâ cæde ſecures
Non nequicquam aris tepuere, & mille Sabæis
Frugibus incenſus Gabaon; nec inutilis ultrò
Terraſque, tractuſque maris, colleſque ſupinos
Herbarum luxu Natura exornat inani,
Illarum ingenia, & certas da noſcere formas,
Atque poteſtates, medicis atque inſita fibris
Munera, Pæoniaſque ægris expromere vires.
Sic tua non tenebris tandem damnata peribunt
Promerita ampla, tuiſque magis celebrabere donis.
Talibus orantem dictis, araſque tenentem
Audiit æternæ ſoboles pulcherrima mentis;
Atque olli extemplò, diſruptâ nube, capacem
Quæ dudum cæcâ umbrabat caligine mentem,
Immicuit, ſeſeque oculis confeſſa nitenti
Ore: Rogas, inquit, quæ Prudentiſſime Regum,
Ne dubita, referes: ſimul hæc, ſimul Avia ſecùm
Exultantem animis Juvenem rapit. [3] Eſt procul, ingens
Quà Libani latus in viridem diſcedit hiatum,
Naturæ domus, Elyſium; genus omnibus unde eſt
Arboribuſque, ſatiſque, corymbiferiſque viretis.
Hìc [4] informandis herbiſque, & ſtirpibus alma

Omni-

1. *Aliunde igitur herbarum Virtus repetenda: cui penitiùs inquirendę fabula iter pręſternitur.*
2. *Primus, qui Herbarum poteſtates omnes perſpectas haberet, Sapientiſſimus Hieroſolymorum Rex Salomon fuit, ut ex ſacris literis conſtat, qui ſcientiam hanc omnem divinitùs hauſit.*
3. *Fingitur is à Divina Sapientia in Naturę Officinam deductus; quę poeticè deſcribitur.*
4. *Plurimę hic plantarum Claſſes, & ſpecies, arrepta anſa, innuuntur, quarum apud Botanophiles peculiaris mentio eſt.*

Omniſparens inſtabat, eam circum undique Nymphæ
Nereides mixtim, Dryadeſque, leveſque Napææ,
Naiadeſque alacres, & Oreades, ordine penſum
Quæque ſuum particæ, operi curamque, manuſque
Addebant, viduiſque arvis ſua texta parabant.
Pratenſes [1] Beroë, natu quæ parvula, fungos
Fingebat facili ductu, formæque ſalubris
Indicium, candentem animam inſpirabat odoram.
Olli etiam muſcos, fucoſque educere, & algas
Ludus erat, gravior ramoſa lithophyta niſus.
Parte [2] aliâ Drimoque, Thaliaque, Phyllodoceque
Gramineam latè ſobolem, ſylvamque Cyperorum
Erectam, ingentem, ſtudio fallente laborem,
Curabant, & nunc crebra internodia, flexus
Nunc varios, caudaſque feras, villoſque, jubaſque,
Telaque, Paniculaſque graves, ſquamaſq; bicornes
Addebant, grato miſcentes ſeria ludo.
Aſt alias aliæ foliis pubentibus herbas,
Suffruticeſque ſatu ducebant diſpare, & arte
Dædaleâ inſtantes operi ſua penſa trahebant;
Pæonium fervebat opus: [3] pars addere flores
Certat agens, crebro vernent ſeù ſtamine, pictis
Seù petalis: [4] pars poma etiam, baccaſque, corymboſque
Aptat, & aut ſiliquis, aut vaſcula ducta fovendis
Seminibus, ſua quæ propriis inſignia plantis.
Arborei [5] gravior generis, fruticumque potentûm
Cura aliis erat: has valido deducere niſu
Stipitis aſpiceres immania membra, toroſque

R Ra-

---

1. *Vti ſunt plantę flore deſtitutę, quales habentur Fungi, & Muſci, Submarinęque omnes, uti Coralia, Fuci, alaque id genus.*
2. *Gramina, & Cyperi, quorum cultus, & forma gratiſſima varietate diſcors, & multiplex; ut videre licet apud Rajum in ſua Methodo.*
3. *Herbæ floriſeræ, ſeù ſtamineo flore, ſeù petalis inſtructæ.*
4. *Pomiſeræ item, Bacciferæ, Corymbiferæ, Siliquoſæ etiam, & Vaſculiferæ.*
5. *Arborum quoque, & Fruticum plurima genera delibantur; uti nimirum Arbores Coniferæ, & Iuliferæ, Bacciferæ, Pruniferæ, & Pomiferę, Siliquoſę etiam, & Fructu ſicco non Siliquoſo, &c.*

Ramorum ingentes, æquataque robora Cœlo.
Et nunc diſſertos rugoſo cortice textus
Addere, nunc vario foliorum errore comantum
Luxuriem, conive decus, vel inertis Iuli.
Has baccis, prunis aptas gentilibus illas
Edere, vel pomis plantas; Siliquaſque ſonantes
His donare, illis ſiccos ſine tegmine fructus.
Pendent [1] parietibus vaſtis longo ordine circum
Collatæ rebus facies, exemplaque; ſucci
Vitales, auræque labris ingentibus innant,
Atque elementorum partes, mixta unde recurrunt
Semina, fœtificique habiles ad germina rores.
Ipſa ſedens thalamo in medio rerum Arbitra ſtirpi
Vires cuique ſuas virides infundit in artus,
Aſſignatque notas, & avitæ inſignia formæ.
Tunc Violæ, reditum maturans Veris, honeſtum
Aptabat vultum Genitrix, formamque novabat.
Tres animæ afflatus liquidæ, tres nubis odoræ
Addiderat, gelidi tres Roris, & altilis auræ.
Jamque ſuum petalis pallorem urgebat; ab alto
Cum Dea Cælipotens Thaumantide vecta curuli
Affuit, & Juvenem frondentibus intulit antris.
Obſtupuit ſubito aſpectu Natura, ſimulque
Penè ſinu excuſſi calathi, & revoluta Miniſtris
Dædala texta: oculos fulgor novus urget inertes.
Tum Sophie his animos addens: Ne abſiſtite cœptis,
Nymphæ, inquit, mea cura; haud hæc abrumpere curſu
Venimus huc alacri, aut veſtros turbare receſſus.
Pergite: veſtra adſum Præſes gratiſſima: mecum
Qui graditur Juvenis, Regum flos inclytus hic eſt,
Davidides mihi deſponſus: me Vindice, veſtra
Fas olli luſtrare adyta, & ſpectare labores.
Inceptam revocate operam. Sic mandat; at illæ
Protinus incubuere omnes, repetitaque doctâ
Penſa manu: felici omnis domus halat odore.
Inſtat Davidides, vernantiaque orſa Sororum
Perſequitur viſu, mentemque ad ſingula volvit.

In

---

1. *Plurima item alia ad Poetica Topographiæ decus, ac venuſtatem adduntur, ut Naturæ Opificis Officina vereſimilius deſcribatur.*

In [1] quatuor diſcreta videt latè omnia claſſes
Germina:in Arboreum quædam ſuccreſcere nomen;
Quædam ire in frutices; alio hæc ſub ſtemmate dici
Suffrutices, illa innumeris dare ſtirpibus herbas.
Queis (2) Caulis minimè aſſurgit lignoſus, & idem
Annuus, Herbarum ex imâ ſoboleſcere plebe
Diſcit; (3) at is dura gracilis queis ſorte perennat
Ligneus,haud tamen & gemmis par mole creandis,
Suffruticum media de gente vireſcere; qualis
Roſmaris, & crebris viget alta Lavendula Spicis,
Inſultatque notis, ſubjectiſque imperat arvis.
Quod (4) ſi Gemmiparas non uno ſtipite plantas
Craſſior attollat, multuſque evadat in auras,
Splendidiùs Fruticum cenſu ſe tollere equeſtri.
Patricio (5) demum clarere ex ordine claſſis
Arboreæ, truncus vaſtâ queis mole perennis
Aſſurgit ſimplex, annoſaque brachia jactat.
Tum genera his contenta vagis ſub claſſibus haurit
Prætereà,& numerum, cultumq;, artemq; recenſet:
Quæq; (6) notæ ſint cuique, ſuæ quæ Teſſera gentis

1. *Celeberrima potiſsimum Plantarum diviſio in quatuor ſumma Genera, in Arbores ſcilicet, Frutices, Suffrutices, & Herbas capta occaſione ſtrictim enucleatur.*
2. *Quarumcumque Caules annui ſunt, Herbæ appellantur, ſive Radices perennent, ſive ſecus; uti etiam quæ Caule non lignoſo ſunt, licet perenni, ut Braſsicæ ſpecies nonnullæ, & aliquando Nicoſiana.*
3. *Quę verò Caule perenni ſunt, lignoſoque, minimæ tamen altitudinis, & craſsitudinis, nec gemmiparę, Suffrutices nuncupantur, ut Roſmarinus, Lavendula, &c.*
4. *At quę gemmipara ſtirps eſt inter lignoſas altitudine, & craſſitudine mediocri, cui pro ſuperficie ſtipes perennis, Natura multiplex, Frutex habetur, ut Myrtus, Corylus, &c.*
5. *Arbor denique Planta lignoſa eſt, craſsitudine, & altitudine inter omnes maxima, cui caudex pro ſuperficie eſt, perennis, & natura ſimplex, qui in multos ramulos majores, ac deinde in plures minores finditur.*
6. *Quę ſint h. m. notę, è quibus generum ſubalternorum diverſitas petenda ſit, alii alia docent methodo. Celebriores ſunt Turneſortiana Methodus, & Rajana, quibus ut ſuus habeatur honor, neutri in præſenti adhærendum cenſuimus.*

Diſpicit, & memori mandat ſe prodere menti.
Quin (1) generi quæ cuique rato diſcrimine ſubſtent
Diſcretæ ſpecies, luſtrat: quot ſtemmate ducat
Diſſimiles Anemona ſuo: quot Carduus, hirtis
Sentibus hic minitans, illic mucronibus horrens
Squameus, hamatis, radiis aut aſper acutis:
Obtuſis rurſum telis hic mollior, illic
Lanceolis pugnax iterum, ſaturoque viroſe
Hic vernans, illic maculis variatus, & albo.
Ante (2) alias, medicas penitus diſquirere vires
Cura ſubit; quæ demiſſis Radicibus, & quæ
Corticibus, ligniſque, alnis aut frondibus inſint,
Sedulus evoluit; flores quoque, & addita flori
Semina, fructiferoſque ſatus, lacrymaſque liquentes,
Quæ duro fruticum rumpuntur cortice ſenſim,
Scrutatur relegens, vitæque juvamina diſcit.
Nec rerum Natura Parens quidquam abnuit; omnes
Quin reſerat fibras luſtranti, & ſingula pandit.
Ipſa aciem Sophiæ texta ad ſubtilia firmat.
Non illum, Libanus nutrit quam vertice, Cedri
Vis latuit; non quam muris, ignobile germen,
Hyſſopus ſervat, tenuique obvoluit amictu.
Herbarum Naturam animo complectitur omnem.
Compos ubi voti ſenſit ſibi Numine pectus
Davidides compleri, animis micat, & ſua dona
Gratatur Sophiæ: gliſcit ſub Corde voluptas.
Sic alte arcanâ fœtus jam Pallade mentem
Abditæ Naturæ, Divâ Duce, tecta relinquit,
Evaditque foras, ſuperaſque excedit in auras.
At Dea, ne quà alius ſecretum inſiſtere limen
Auderet, viridem rurſum interclusit hiatum.

Ob-

1. *Quam variæ ſæpè ſpecies ſub uno, eodemque ſubalterno Herbæ genere contineantur, Anemones, & Cardui exemplis curſim perſtringitur.*

2. *Iam verò non modo enumerata omnia Salomoni patefacta hic non omninò ex vano fingimus, verum & medicas ſingularum plantarum vires, tùm quæ inſunt Radicibus, tum quæ Corticibus, aut Lignis, aut Frondibus, aut Floribus, aut Seminibus, & Fructibus, Succis etiam, ac Lacrymis, quæ è plantis exudant: teſtantibus ſacris literis 3. Reg. 4. Diſputaſſe illum ſuper lignis à Cedro, quæ eſt in Libano, uſque ad Hyſſopum, quæ egreditur de Pariete.*

Obſtruxitque fores, frondenteſque obdidit umbras.
Nec tum viſendi inceſſit maleſana libido
Quemquam alium, nec opus cuiquam fuit: (1) ipſe repoſtæ
Davidides monimenta domus vulgavit, & omnes
Tradidit herbarum ſeclis venientibus artes.
 Sed (2) non illa diù viguit fortuna: tot auſis
Tot ſtudiis exculpta Viri documenta ruinis
Seclorum periere; jacent tumulata vetuſti
Temporis excidio, & triſti demerſa favillâ.
Non ævi tamen invidiâ ſua munera paſſa eſt
Corrumpi Sophie alma; Revolvi in nubila Lethes
Senſit ut illa, poli ſummâ demiſit ab arce,
Quæ lucis pars alma ſuæ ſtellantia cæli
Atria luſtrabat, Rationem, Urbeſque docere
Juſſit amans, terris & prælucere malignis.
Illius imperio Rerum Experientia ſolers
Juncta comes, non certa ſatis quæ proderet uſu
Argumenta, fidem dubiis & jungeret herbis.
His ducibus via facta, iterum quâ abſtruſa pateret
Inſita vis herbis, medicæque accederet arti.
 Evenere: (3) ſacræ ductu Rationis, agreſtis
Plurima ſe explicuit virtus: plantæ illa latentem
Temperiem, vario paſſim monſtrante ſapore,
Non ſemel edocuit, vireſque exprompſit inuſtas:
Algenteſque Acidi tulit, Auſterique ſaporis
Indicio; Calidas Acris, Salſique, vel ora
Quiſquis Amaritie torquet; morbiſque levandis
Herbarum ingenium curâ ſic prodidit aptum;
Naturamque acie rurſum rimata Magiſtrâ eſt.

Hinc

---

1. *Tanto Auctore emanaſſe primùm in vulgus publicis monimentis conſignatas Herbarum Virtutes, ac poteſtates haud ab re conjicimus.*

2. *Verum Temporum injuriis iis monimentis abolitis; Divina Providentia factum, ut Ratione, & Experientia Duce ſucceſſu temporis interceptæ pridem Herbarum Virtutes rurſus in lucem emergerent.*

3. *Et quidem Rationis ductu factum, ut ex ſaporum differentiis plurimæ Herbarum poteſtates innoteſcerent. Hinc enim illarum Temperies comperta, ut nimirum Frigida habita ſit acidi, aut auſteri; Calida verò acris, ſalſique, aut amari ſaporis indicio.*

Hinc (1) etiam varios didicit ſeponere in uſus
Germinis ejuſdem partes, variante palati
Judicio, & carpi ſtudia in contraria juſſit.
Interdum (2) inſectis è vilibus argumentum
Duxiſſe haud puduit: ſi qua eſt paſcentibus illis
Aut faſtidiri viſa, aut intacta relinqui,
Furtivi aut vitii, aut taciti ſuſpecta veneni
Credita ſtirps; labis ſed contra immunis adeſa.
Hoc [3] primum ſigno Gens Europæa per altos
Ammericæ ſaltus errans ignara locorum,
Quos veſcos raperet fructus ex arbore novit.
Nempè avium quos picta cohors libaſſet, edules
Edidicit, natoſque fami ſine fraude premendæ.
Aſt [4] avido efflictim ſi qua eſt morſuque, fameq;
Viſa peti ſtirps certa, vigens virtute repoſta;
Illa licet noſtro non eſſet pervia ſenſu,
Commendata: leves nimirum Inſecta ſapores
Scrutantur nobis ſubtilius: acrior illis
Guſtus ineſt; tenues fugiunt nec Tenuja ſenſus.
Hoc [5] ductu ſi quando aliis hæreſcere plantis

Hor-

---

1. *Vnde etiam heterogenea partium ejuſdem ſæpè plantæ Virtus ac temperies evoluta; atque alia deducta eſt cathartica, adſtringens alia, variante ſaporis indicio.*

2. *Ex Inſectis etiam non ſemel deductum eſt argumentum ad noxias, vel ſalutares plantas dignoſcendas; quæ enim obſervata ab Inſectorum, aut Animalium nullo attingi, venenatæ habitæ.*

3. *Hoc indicio uſos memorant Europæos, cum Americæ ſylvas locorum imprudentes oberrarent, ut eos fructus edules ducerent, aut ſaltem impunè guſtari poſſe, quos nimirum ab avibus decerptos, aut admorſos viderent.*

4. *Hinc, ſi quod Inſecti genus peculiarem aliquam plantam affectet, veriſimile eſt peculiari aliqua vi, ac poteſtate illam pollere; quamvis ea fortè in noſtros ſenſus non incurrat. Inſecta enim ſubtiliùs, quam nos, ſapores diſtinguunt.*

5. *Conjecturam etiam hinc facere licet, Viribus eas plantas convenire, quas eadem Inſecta arrodant; ac proinde ſi alias à Piperitide, Naſturtio, Iberide plantas inhiet Scarabæi genus parvum, & nigrum, Hortenſis Pulex aliquibus dictus, inferre licebit eas acres eſſe, & calidas; cujuſmodi enumeratæ ſunt, quas id animalculi obſervatum appetere.*

Hortenſem Culicem deprendes, ſeù Scarabæi
Et nigrum genus, & parvum, depaſcier acres,
Et Calidos ſuetum caules, Te Fervida Iberi,
Voſque elata ſolo parili Naſturtia cultu,
Temperie aſſimili pollere licebit & illas
Conjectare, parique acres ſuccendier æſtu:
Inde [1] Jacobææ ſuppar Virtute putatum
Erigeron, æquè germen quòd carpat utrumque
Et nigris Eruca notis inſignis, & auro.
Inſectis [2] quanquam non certa ex omnibus æquè
Argumenta; ſatu nam ſunt quæ pamphaga nullo
Non ſeſe oblectant, nullique addicta vagantur.
Sed[3]levia hæc:majora tulit documenta, novaſq;
Ex aliis, his quæ præſtant, Animantibus artes.
Inde [4] Sagax Ratio Dictamni hærentia contra
Spicula Virtutem didicit, ſylveſtribus illam
Per Dictæa Capris paſſim monſtrantibus arva.
Inde [5] Chelidoniæ foliis, ſuccoque malignam,
Nictantemque ſub umbrâ aciem purgare Magiſtrâ
Hauſit hians oculis ab Hirundine: (6) Salvia lentis
Fauſta puerperiis uſu comperta Leænæ,
Cervarum Seſelis. [7] Notas Tibi, lubrica Serpens,

Fæ-

---

1. *Hoc ductus indicio eruditiſſimus Rajus Iacobaam, & Senecionem vi-ibus affines putat; quòd plantam indiſcriminatim utramque depaſtatur Eruca quadam maculis nigris, & aureis tranſverſis interdiſtincta.*
2. *Non eſt autem obſervatio hac certa, & Vniverſalis in cujuſvis generis Inſectis, ſunt enim pleraque, aut Pamphaga, aut Polyphaga, qua nullum ferè eſca genus averſantur.*
3. *Potiora deducta ex perfectoribus Animantibus argumenta, quibus accepta referenda eſt plurimarum Virtutum cognitio.*
4. *Sic Sylveſtrium Caprarum indicio Dictamni, Ital.* Dittamo Cretico, *patuit Virtus, cujus paſtu harentia excutiunt tela.*
5. *Chelidoniam, Ital.* Celidonia, *viſui ſaluberrimam Hirundines monſtravere, vexatis pullorum oculis illa medentes. Plin. l.8.c.27.*
6. *Salviam, Ital.* Salvia, *ad partus facilitatem conducere Leana. Seſelim, Ital.* Seſeli, *Cerva.*
7. *Fæniculi, ſeù Marathri, Ital.* Finocchio, *vires Serpens, illius ſucco membranam hiberno ſitu corpori obductam exuens, nitidiuſque vernans; hujus vero herba ſeſe affricans, oculoſque hiberna latebra obſcuratos inungens, ac refovens.*

Fœniculi, Marathrique oculis, ſenioque ſalubres
Debet opes; [1] Rutæ tibi vim, Muſtela, laceſſis
Hac armata feros dum ſæva in bella colubros.
Ipſa [2] etiam Helxines Turtur, Lauriq; Palumbes,
Perdiceſque, Grues Junci docuere paluſtris
Pæonias laudes, his dum faſtidia purgant
Annua, & effœtas revocant ad munia vires.
Quid plura? Aſpleni vim contra aggeſta Lienis
Damna vel ex ipſo condiſcere juvit Aſello,
Fors(3) quoque multa retrò lapſis incognita ſeclis
Extulit in lucem, cæco benè provida caſu.
Quis Laricis frondentem alio quam gignit in orbe
Ammericæ, Virtutem Umbræ noviſſet opacam,
Ni caſu patuiſſet? eam vis obvia caſus
Prodidit, inque diem nativâ eduxit ab umbrâ.
Fortè (4) ſub hanc nimio feſſus ſucceſſerat æſtu
Tytirus, errantes linquens per prata Capellas.
Dum recubat, Zephyrumq;, & Frigus captat opacum
Devius, in dulcem volvuntur lumina ſomnum,
Stertit humi fuſus: reſides ſopor alligat artus.
Ipſa adblanditur placido gravis umbra ſuſurro.
Ut primum excuſſus ſopor eſt, ſpectacula demens
Dat nova; nam mentis furtivo errore per umbram
Correptus, Sortiſque ſuæ planè immemor, Alter
Viſus adeſſe ſibi; vacuâ nam viſus in aulâ
Jam ſibi Regnator, jam non ſibi Tytirus, alta
Dicere jura: tumens jamque his, jamq; imperat illis.

Pæ-

---

1. *Ruta*, *Ital.* Ruta, *Muſtela*, *cujus paſtu ſe contra ſerpentes obarmat*, *ac vires reſervet.*

2. *Helxines Noſtr.* Erba di Muro. *Ital.* Erba Parietaria, ò Vitriola, *Turtur*, *Lauri Palumbes*, *Perdiceſque*, *Grues Iunci paluſtris*, *Ital.* Giunco paluſtre, *vires edocuere*, *quibus annuum faſtidium purgant. Aſinus Aſpleni*, *Ital.* Scolopendria, *qui ſplenè laborans hac herba dicitur ſe curare. Vide plura apud Plin. loc. laud. & l.25.c.8. & Abrahamum Coulejum in ſuis Poeticis Commentarÿs.*

3. *Multa etiam caſus vel imprudentibus extulit. Sic patuit Umbra Laricis cujuſdam Americana praſtigiatrix Virtus, ſuo afflatu potens vel hominem è ſtatu mentis deturbare.*

4. *Ex Paſtoris cujuſdam ſucceſſu, qui primus ſub illa ſomnum cepit, res denarratur.*

Penula mentitur chlamydem, Regalia curvum
Sceptra pedum, faſtuque amens ſibi plaudit inani;
Mox Mercaturæ ſtudet improviſus, in arma
Mox ruit, & trepidum vocat in certamina Martem.
Auguris idem aliàs partes agit; atque ſubindè
Vel vigil emotâ fingit nova ſomnia mente.
Theſſalicâ donec vi vaneſcente, per umbram
Afflatâ, infelix ſibi redditur, & ſibi Paſtor,
Qualis erat, redit: heù! miſerum ludique, breviſq;
Stultitiæ pudet; & ſerò ſectarier umbras
Ediſcit, quiſquis ſuprâ ſe ſplendida quærit.
Ridet inexpletùm ſibi ſacrâ ex Arbore ludum
Proſpectans Morpheus, quaſque Umbræ infuderat olim
Cedere mendaces gaudet feliciter artes.
At (1) Tibi Pæonias ſeù Fors, ſeù doctior Herbas
Extuderit Ratio, ante alias ſtirps illa legatur,
Quam longo annorum conſenſu exacta probarunt
Argumenta: docet Ratione Sagacior Uſus,
Quaſque haud illa ſuo prætentat lumine, promit
Sæpè exploratas hic falli neſcius artes.
Certa Uſus profert. (2) Ah ne Te cæca cupido
Occupet, ignotas unquam contingere plantas;
Ni pœnas fortaſſe velis dare turpiter hauſtus
Ipſe tui: tales Antonî Exercitus olim
Heù luit, inſuetos auſus decerpere caules,
Dum Parthos in bella ſequens nemora avia luſtrat,
Vix ſævâ ſtimulante fame rabido ore voratum
Tùm primùm objectum peregrinum germen, obortus
Cum ſubitus furor Attonitis, memor omnis abacta
Vis animi, & cæcam mutat veſania mentem.

S Pro

1. *Vtut verè prædicta ſe habeant, illarum herbarum potior ad Medicinam habenda ratio, quarum Virtus longa experientia probata eſt. Experientia quippe certior Fallaci Ratione.*

2. *Cave igitur nondum explorata plantę te credas, ni dare tua Temeritatis pœnas velis; quales olim dedit Antonii exercitus, qui per Parthorum nemora iter habens, ignoti germinis eſu ea inſania correptus, ut obliterata penè omnium memoria ſe totum frangendis, atque invertendis perperam glebis impenderit, ac demum ingenti bilis vomitu vitam miſerrimè finierit, ex Appian. l. de Bello Parth. pag. 246.*

Pro Caſtris , acieque , trucis pro pulvere Martis
Præſtat humum fodere , & putres invertere glebas.
Donec vi multâ rejectavere ſupremam
Atrâ unà cum bile animam , fuſique herbas
Interitu miſero finem impoſuere labori:
Conſtat inexpertas tanti contingere plantas.
At (1) nunc in caſum vitam dare,certaq;nondum
Haud opus eſt tentare : ſatis jam cognita frugum,
Herbarumque oculis occurrunt pharmaca: penè
Omnia jam tentata . Quis aut Ophtalmica paſſim
Germina , proveniant aut quæ Narcotica , neſcit?
Cui non dicta oculis inſignis (2) Acacia, cordi
Bugloſſum (3),Jecori felix (4) Agrimonia ſucco?
Malva(5) venenatos Crabronum ut vernet in ictus?
Ut canis in rabidi morſus ſuccurrat (6) Alyſſon ?
Aſthma (7) Crocus domet , & vindex (8) Petaſitis , & album
Marrubium , Arthritin frænet frondoſa (9) Chamædrys?
Non Tibi plantarum quæ ſit manifeſta poteſtas,
Quæve occulta , acri quærendum indagine : conſtat
Utraque jam Veteris ductu Rationis , & Uſus .
Jam veſtigatis tu Viribus utere, & almis
Inventis fruere , atque ævo gratare priori.
Quod (10) ſupereſt , medicas præſtet quo tempore fruges
Interea legere , aut Artis quâ quamque parari
Par ope ſit , queat ut rapidis occurrere morbis ,
Diſcere non vanus fuerit labor . Hanc quoque partem
Extremo Vatem ſub litore vela legentem
Phæbe doce , & puppi da lætam aptare Coronam :

In

1. *Nulla autem in præſenti neceſſitas ignotas herbarum vires experiundi : cum paſſim cujuſque penè virtus Ratione , atque Experientia duce teneatur ; ut jam minimè laborandum ſit in novis inveniendis remediis , ſed inventis potius , aque uſu exploratis fruendum.*

2. *Ital.* Acazia. 3. Bugloſſa , ò Borrana . 4. *Ital.* Eupatorio d'Avicenna , ò Agrimonia . 5. Malva. 6. Aliſſo. 7. *Heruſc.* Zaffrano , ò Gruogo . 8. Cappellaccio . 9. *Ital.* Querciuola.

12. *Inquirendum ſupereſt , quo tempore plantæ colligendæ ſint , tùm quanam arte parandæ ut proſint .*

In (1) primis omnem medicas carpentibus herbas,
Quæ cæli invigilat ſignis, Aſtriſque notandis,
Amoveo Curam. Nautis hanc linque, Tuoque
Agricolæ: Superi ſtellata volumina mundi
Is legat, aſtrorumque obitus obſervet, & ortus.
Quid nimboſæ Hyades, torvâ quid fronte minentur
Plejades, aut plauſtro moveat tardante Boötes.
Pæonias fallax hæc cura legentibus herbas,
Succeſſuque carens ſæpè obſervata, neque unquam
Certa ſatis: (2) quin nec quâ Lunæ ætate legantur
Multum operi conferre putem; ſunt plurima quanquam
Germina non Lunæ dubiis obnoxia ſignis;
Seù creſcente etenim, ſeù decreſcente manipli
Sidere demeſſi, nullo diſcrimine viſi
Par ſenium, par ferre ævum, par tendere robur.
Tum (3) generatim herbas propria de Matre legendas
Præcipio, nativa illis cum gratia formæ,
Et vigor eſt, ſucco cum jam ſtirps uvida miti,
Concoctoque tumet; nec adhuc dureſcere fibris
In lignum cœpit, viridi perfuncta Juventâ.
Sole (4) etiam legito cum Matutinus adulto
Exhauſtus radiis ros omnis, & omnis in auras
Humor iit, primus quo deſudavit Eous.
Quod (5) ſi Pæonios unæ poſcantur in uſus
Radices, plenè maturas velle, prius quam

---

1. *Quoad colligendi tempus, Cæleſtium, & Aſtronomicarum Obſervationum de partibus Zodiaci, Planetarum aſpectibus, configurationibus, influentiis, &c. rationem nullam habendam cum Doctiſsimo Rajo cenſemus; utpote quæ incerta, ac fallaces, ſucceſſuque ſæpè carentes deprehenſæ ſint.*
2. *At neque multum referre putamus, quâ Lunæ ætate colligantur; æquè .n. durabiles eſſe creſcente, & decreſcente ſidere collectas obſervatum.*
3. *Generatim igitur tùm colligendas præcipimus, cum in ſtatu, ac vigore ſunt, cum ſucco jam miti, & probè concocto turgida, ante quàm fibris indureſcentibus in lignum deſciſcere incipiant.*
4. *Quoad tempus verò, die ſereno potius, cum ſolaribus radiis matutinus Ros iis inhærens penitùs exhauſtus eſt.*
5. *Radices evellendæ, cum plenam maturitatem adeptæ ſunt, antè verò quàm Caulem emittere incipiant; tunc enim ſuccus illicò Radicem deſtituit, fibræque lignoſæ evadunt.*

Incipiant altè pubentem emittere caulem:
Quippe nocet teneris caulis Radicibus; omnis
Ilicet has ſuccus ſuperos immiſſus in artus
Deſtituit, cogitque in lignum areſcere fibras.
At (1) florum teneat melior ſi cura, comantes
Collige, formoſi pleno dum munere Veris
Luxuriant, tepidiſque auris patulo orbe dehiſcunt.
Excipe quos Roſa puniceos dat vivida flores,
Jaſminumque albos, calathi qui carcere ſepti,
Impubeſque petunt operoſa in pharmaca mitti.
Par (2) ſit & in frondes ſtudium, ſi frondibus uſus
Eſt opus in medicos: illas deſtringe, colorem
Nacta ſuum celſo cum læta cacumine campis
Imperat, & proprio ſtirps aucta ſapore ſuperbit:
Et jam fœta ſuum latè diffundit odorem,
Jam flores rumpit: Tum frons magis apta medelis;
Nam ſolido magè tùm ſucco turgeſcit, & æquas
Paſſa moras tum planè animos oſtentat avitos.
Fluxior in teneris liquor eſt, & aquoſior: omnis
Effluit in tenuem tum ſtirps evanida rorem,
Fruſtraturque ſuo vacuum medicamen honore.
Tu [3] teneras, & Matris adhuc à lacte recentes
Carpe gulæ: tum lecta placet Lactuca, palato
Tum ſapit Aſparagus, ſenſumque invitat edacem.
At [4] quæ Pæonias herbæ quæruntur in artes
Ser-

1. *Flores, ut rectè Schroderus, legendi, cum pulchritudine ſuæ luxuriant, nec adhuc marceſcunt. Excipe paucos, qui calyculo incluſi in uſus medicos colligi petunt; ut Roſarum flores, Iaſmini, & ſimilium.*

2. *Folia verò carpenda, cum herba odore, colore, ſapore, cacumineque ſuperbiunt, jam jam flores datura; tunc enim ſuccus plantæ proprius, quem ſpecificum vocant, maturior, ac ſolidior. Contra in teneris aquoſior eſt, & tota ferè plãta in humorem evaporat.*

3. *Non negaverim tamen ad gulæ lenocinium aptiores herbas eſſe, dum tenera adhuc, & recèns nata; tùm palato magis commendantur Aſparagi, Lactuca, Portulaca, aliaque id genus ad uſum Culinæ comparata.*

4. *Herbæ ut plurimùm ad uſus medicos cum floribus aſſervantur. Colligenda itaque hæ erunt, cum floribus triumphant; ut Calamintha, Centaurium, Chamadrys, Serpyllum, Thymum, Amaracus, ſeù Majorana, Polium, Fumaria, & ſimiles.*

Servari plerumque ſatu cum pubere florum
Conſuevere : illas mihi tum Tu demete, picto
Cum rident luxu, & vario ſe flore coronant.
Tùm præſtans Calamintha mihi, tùm læta Chamædrys,
Serpyllumque, Thymumque, & olentia Centaurea
Obveniant, virides tum ponat Amaracus umbras,
Et Polium diteni ferat, & Fumaria ſylvam.
  Haud [1] aliter matura legas Tibi ſemina, curæ eſt
Semina ſi legere, & medico ſubmittere juri.
Optima, cœperunt primas quæ ducere rugas,
Nec tamen exciderint. (2) Fructus quoque mitior arti
Pæoniæ utilior; quanquam ſervandus in ævum,
Nec tam maturus, carpi nec poſcit acerbus.
Flexilis in vitium, & votis illudere prompta
Utraque conditio eſt: medio tutiſſima Virtus.
  Jam [3] verò hæc ſi lecta novo ſint ordine rurſus
Exiccanda, gravem Solis non durior æſtum
Tam citò damnarim. Siccandis frugibus Umbra
Non ſemper favet æqua: ſitum plerumque manipli,
Invigilet ni cura, trahunt, ſenſimque ſub illa
Correpti (miſerum!) lenta rubigine marcent.
Solis ama radios; Solis ſiccantur ad æſtum
Ocyus Herbarum faſces; quòque ocyus illi,
Hoc melius ſiccantur, opeſque tuentur avitas.
Tunc (4) umbram Soli anteferas, cum priſtina formæ
Signa juvat ſtirpi, & priſcum ſervare colorem:
Umbra favet formæ, ſervat magis umbra colorem.

Exic-

1. *Semina item, ut monet idem Schroderus, colligenda, cum benè matura fuerint, ſiccarique cœperint; nec tamen exciderint.*
2. *Fructus etiam, cùm benè maturuerint; quanquam aſſervandos præſtet decerpere, cùm neque omninò acerbi ſunt, neque ad juſtam maturitatem pervenerint.*
3. *Quod nunc ad plantarum exiccationem attinet; non ità convenit inter Botanicos. Plerique in umbra ſiccandas contendunt. Nos potius cum Rajo iis aſſentimur, qui in faſciculos alligatas citò, & in Sole ſiccari jubent; quò enim citiùs ſiccantur, eò meliùs. Nam quæ in umbra exiccantur, ni diligens cura adhibeatur, facilè ſitum, & rubiginem contrahunt, ac tandem corrumpuntur.*
4. *Quòd ſi velis, ut flores, & folia colores nativos diutiùs retineant, in umbra ſiccare præſtat.*

Exiccata (1) memor tenui vallata papyro,
Pyxidibuſque cavis, & amicis intege ſeptis,
Ne quà aër intret: concluſas diſſipat aër
Herbarum vires, ſecumque agitabilis aufert;
Tùm ſicco depone loco, qui frigidus æſtum
Arceat: ipſe etiam plantis nocet æſtus; ab illo
Spiritus herbarum tenues exhauſtus in auras
Evolat, & vires langueſcere cogit inertes.
Uunm (2) illud mirum: nimio quæ ſemina pallent
Victa humore, ſitumq; bibunt, paſſimq; putreſcunt,
Si terræ mandes gremio ſervanda, rigentem
Quanquam Hyemem patiuntur, & imbribus uſque madeſcun.
Tuta tamen ſine fraude latent, & Vere propinquo
Ad nova ſervatas ſubmittunt germina vires
Promptius, & reduci lætantur vivida partu.
At (3) non Pæonio plantis de more parandis
Una via eſt; aliis aliæ ſua ſubdere gaudent
Dona modis. Hæc cruda juvat, petit illa calentem
Arte focum, nec decocto niſi vindice prodeſt.
Succus ab his premitur, pulvis tenuatur ab illis.
Sacchareis aliæ ſalibus, Cannæque pruinâ
Nectareâ miſceri optant, blandumque ſaporem
Induere, & refugo ſe commendare palato.

Hoc

1. *Aſſervanda autem hac omnia, poſtquam probè exiccata fuerint, in ſacculis chartaceis, qui & ipſi pyxidibus ligneis includantur. Conducit nanque ad diuturnam aſſervationem, ut aër ſedulo arceatur, utpote qui perpetuo motu activas ſibi expoſita planta particulas facilè evocet, ac diſtipet. In loco item ſicco potius, & frigido, quam calido reponenda; Calor enim volatiles ſpiritus, & odoriferos, in quibus planta vis pracipuè hoſpitatur, agitando facile dividit, ac reſolvit.*

2. *Vnum illud in ſeminibus mirum. Qua plurimum ab humore detrimenti capiunt, terra tamen gremio excepta, quantumvis per hyemem perpetuò ferè madeant, ſecura tamen, & illaſa latitant; novoque Vere promptius, & alacrius germinant, quàm qua diligentiſsimè cuſtodita fuerint.*

3. *Quod attinet denique ad modum parandi in uſum Medicinę plantas, multiplex is eſt. Alię enim crudę proſunt, alię decoctę; ab his ſuccus exprimitur, illa in pulverem rediguntur, alię ſaccharo condiri amant, atque aſſervari, alię in unguenta atteri, alia ad ignem deſtillari.*

Hoc mihi ſive Tuos flores, Borago, Roſarum
Sive diu incoctum propinet nectare ſuccum
Docta manus, Cordi, aut Capiti latura levamen.
Sunt qui unguenta terant plantas in mollia; ſunt qui
Inde trahant medicos lento luctamine rores.
Vas (1) ſolidum, longo in ventrem quod fuſile collo
Creverit, imponunt prunis ardentibus; illùc
Demeſſos flores, plantaſque, aut ſemina largè
Inſinuant, lentoque jubent torrerier æſtu.
Fumeus effertur tacito furtim igne ſolutus
In ſublimè vapor, vacuumque per aëra gliſcit.
Mox ubi præcluſo lateri frigentis aheni
Hæſit, & algorem ſemotâ in parte recepit,
Paulatim rorem decurrere creber in udum
Incipit, & riguis aliò ſè impellere rivis.
Hac ope, qui latet in plantis, educitur ardens
Spiritus, hâc oleum, Sal hâc, virtuſque repoſtis
Abſtruſa in venis in Solem educta pateſcit.
Hâc (2) nuper laudati adeo detecta Cacai-

Vis

---

1. *Stillatitij Vaſis deſcriptio ad Chymicam plantarum Analyſim, qua Spiritus, Sal, Oleum in uſus Medicos è plantis elìcitur.*
2. *Deſcribitur exempli cauſa Chymica Analyſis è nucleis Cacaì habita; qua his verbis denarratur à Rajo to.2. Hiſt. Plant. p. 1673. Nucleorum Cacai non decorticatorum uncia octo in pulverem comminuta, & Retortę indita, ſubſtantia adeò fixa, & difficulter reſolubilis ſe eſſe prodiderunt, ut modica ignis vi nihil redderent prater album quendam liquorem aqua inſtar clarum, & pellucidum, idque pauca quantitate, quem pro phlegmate habuerunt. Aucto igne ad eum uſque gradum, qui Spiritui Vitrioli eliciendo ſufficit, 17. horarum ſpatio elevatus eſt Spiritus Vaporum ſpecie lactei candoris, qui pręter aliorum ſpirituum morem in phlegmate ſubſidit ad fundum Vaſis recipientis. Tandem adhibito igne vehementiſſimo Reverberij, in vegetabilium deſtillationibus minus uſitato, aſcendit oleum intensè rubicundum, & velut ſanguineum, verùm pellucidum valde; quod refrigeratum craſſeſcit inſtar Olei, vel butyri Cera. Spiritus non admodum fervidus erat, ſed penetrantiſſimus, nec guſtui, nec olfactuì ingratus; quemadmodum eſſe ſolent è ſanguine, aut Carnibus elìcitì. Oleum pariter mirificè pungit, ac penetrat, Sale volatili, cujus magnam quantitatem continet, nondum ſeparato; eſtque valde Aromaticum, & Cardiacum. Spiritus brevì aceſcit, quo ſe acetum copioſum continere prodit. Hac Rajus.*

Vis apprimè tenax; modicoſque extractus ad ignes
Exiguus primo flammæ tentamine, tardum
Phlegma, liquor; mox aucta Ignis virtute, vaporum
Albentum in ſpeciem certo poſt tempore viſus
Spiritus efferri, & riguo concreſcere lacte.
Demùm acri ſtimulante rogo, qui maximus ardet,
Vimque vel indomitis potis eſt inferre metallis,
Puniceo tandem viſum ſe attollere rore
Inde oleum, pulchrumque oculis ſimulare cruorem;
Uſque adeò vapor in faciem ſe ſanguinis effert,
Immenſumq; rubet: qui ni pellucidus eſſet,
Sanguis erat: frigens pinguis craſſeſcit olivi
Inſtar, at inſinuat ſeſe, mordetq;, foditq;
Immixtis ſalibus, gratoq; inſignis odore
Et nares beat, & cordi medicatur anhelo.
Excitus ipſe etiam ſenſus pervadit inertes
Spiritus; arcano multum non fervidus igni
Ille, nec ad guſtum, vel odorâ inglorius aurâ;
Fert tamen ætatem haud quaquam; mutatus aceſcit
Nanque brevi, fœtumque gravi ſe prodit aceto.
Plaude (1) tuis clara inventis, Ars chymica, cui fas
In ſua Pæonias elementa reſolvere ſtirpes;
Fortunata, tuâſque audax feliciter arte,
Naturæ cui clauſtra licet perrumpere, & omnes
Igne ſinus furtim populari, atque inde liquentem
Ipſam animam totis guttatim exugere fibris.
Hinc Tibi laus major, certa his, Mortalibus ægris,
E ſoculis auro melior fortuna renidet.
Vanus in optatam non hic aut vertere Lunam
Mercurium Tibi nempe labor, vel Cypria primo
Æra ſatu in fulvum tractim procudere Solem;
In vacuos ut ſparſa volent Patrimonia fumos.
Hæc alii, queis vota animus ſpe lactat inani,
Sollicitent cæca auſa: tuo mihi munere vires
Ægras, & vitam placeat fulcire labantem.
Pharmaca amem, ſuccoſque impenſius. O ubi, nigrum
Quos Ceraſum, albenteſque, liquant quos Cinnama, rores
Pro-

1. *Digreſſio in laudem Artis Chymicę, qua parte Rem Herbariam ſpectat, ejuſque Analyſim; utpote qua hic operam non lud[illegible] ſuam, ſed multum proſit.*

Pæonii! O qui me veſtro ſolamine preſſum
Allevet, & medico languentem ſoſpitet hauſtu!
Felix, (1) Herbarum potuit qui noſcere vires,
Atque vices omnes, & inexaturabile lethum
Subjecit pedibus, fauceſque eliſit hiantes.
Illum non Ophyre baccis, non India gemmis
Flexit, & auratas voluens Pactolus arenas;
Aut quæ frondoſæ mittunt electra Sorores:
Non quæ dat Ganges ditiſſima dona; neque ille
Aut his indoluit vacuo, aut invidit habenti.
Quas Tellus fruges, quas ipſa legentibus ultrò
Rura tulere ſinu, carpſit; nec munera Regum,
Contuſamque Erythren, aurumque liquabile novit.
Effodiunt alii Stibii dubia æra, ruuntque
In fatum: vina inficiunt, & viſcera torquent:
Hic vivo ſtudet argento, minioque rubenti,
Ut morbo aut pretium faciant, aut pharmaca fucum.
Concretas hyemes alius, glaciemque per Alpes
Aërias quærit, duratæque incubat undæ.
Hic ſtupet externis teſtis; hunc ſulphur hiantem
Phlegræis(ſcatet hoc etenim Phlegra obſita)campis
Corripuit: gaudent humana cadavera nimbis
Obruta pulvereis Medicinæ adhibere, novumque
In vitæ auxilium tetras compellere mortes.
Ipſe unâ fretus Botanes ope cuncta malorum
Semina, vel cavet anticipans, vel ſubdita frangit.
Quiſquis agat morbus, præſto ſunt germina mille,
Mille medendi artes; ſeù ſit purgantibus alvum,
Seù (2) ſit opus fluxam lenè adſtringentibus, adſunt
Mille anni florentis opes, & mille manipli
Pubentum herbarum; ſeſe hinc(3)Scammonia profert,
Senaq; [4], Jalapiumq; [5] potens, & [6] Cnicus, & [7] ipſa

T Bar-

---

1. *Altera in Scientia de Re Herbaria Commendationem digreſsio; cujus unius ope mortalis vitę commodis abundè conſuli poteſt; quin aut pretioſiora, aut periculoſiora è Foſsilibus remedia conquirantur.*
2. *Plura arrepta anſa è plantis remedia, vel purgantia, vel aſtringentia veluti per tranſennam proferuntur.*
3. *Officin.* Scamonea. 4. *Hetruſc.* Sena. 5. *Hetruſc.* Sciarappa. 6. *Ital.* Zaffarano Saracineſco. 7. *Hetruſc.* Rabarbaro.

Barbarica de gente tulit quæ nomina Radix,
Et polypi criſpos imitata (1) Filicula cirros;
Atq;(2)Hedera,atq;(3) Aloë,atq; eſu (4)Colocynthis amaro;
Caſſiaq; [5], atq; [6] Ebuli cortex, ſemenque, liquorque.
Lentâ illinc Radice (7) Acorus ſuccurrit, & (8) omne
Geranium, foliis [9] Glaſtum, crebrumque [10] Equiſetum,
Et foliis præſtans, & Cortice [11] Quercus, avito
Semine (12) Limonîum, fructu (13) Oxyacantha rubenti,
Et (14) Cornus Mas, atque (15) Ribes,& (16)Meſpilus,& quæ
Par virtute, præit ſuperans (17) Viburna (18) Cupreſſus.
Quidquid alit Panchæa ſuos Annona per hortos,
Ipſi alit; ipſi omnis pubes pulcherrima Veris,
Omnis honos, omnis latè ſeges halat odorum;
Si non unquam Aulas, & Regum limina viſit;
At (19) dictas olim Regum de nomine plantas,
Seù quę Mauſoli Regali è Conjuge, ſeù quæ
Lyſimacho de Rege tulit cognomina, luſtrat.
Te quoque Regnator quondam quam Gentius, & Te
Telephus Æacidę telis confoſſus amicam
Quam dedit, aut legit, aut oculo miratur hianti;
Atque poteſtates recolit, moreſque, genuſque.
Hæc, reor, Æacidæ quondam dictavit alumno

Phyl-

1. Polipodio. 2. *Ital.* Edera, ò Ellera, *cujus bacca inter purgantia medicamenta recenſentur.* 3. Aloè. 4. *Hetruſc.* Colloquintida, pianta ſimile al Cocomero ſalvatico. 5. Caſſia. 6. *Hetruſc.* Ebbio, ò Ebulo: 7. *Officin.* Acoro, ò Calamo Aromatico. 8. *Officinis, & Herbarÿs* Becco di Grù. *Aliter Acus Paſtoris, vel Muſcata.* 9. *Alio nomine Iſatis.* *Ital.* Guado. 10. *Hetruſc.* Coda Cavallina. 11. Quercia. 12. Limonio. 13. Spinbianco, ò Creſpina, *vel ut aliÿs placet,* Amperlo, ò Pan d'Orſo. 14. *Hetruſc.* Corniola, ò Cornia, frutto del Corniolo Maſchio. 15. *Officin.* Ribes. *Ital.* Uva Spina, ò Uva d'Orſo. 16. *Hetruſc.* Neſpola, frutto del Neſpolo. 17. *Ital.* Viburno, ò Lantana. 18. Cipreſſo.

19. *Aliquot etiam innuuntur Herbæ, Regum inventa, atque ab iiſdem nuncupata; ut Herba Artemiſia à Mauſoli Conjuge Caria Regina, appellata; Lyſimachia à Lyſimacho Rege, Gentiana à Gentio Illyricorum Rege, Telephium à Telepho Rege pariter, qui hujus herbę ope vulneribus ab Achille inflictis medicinam fecit.*

Phyllirides Chiron, viridi cum Doctor in antro
Pæonias illum Senior formaret ad artes:
Hæc Reges didicere; ſibi nec clarior unquam,
Quam ſtudiis Europa potens nunc plaudit in iſtis.
Hæc ſuper herbarum ingenio, cultuque canebam,
Pæoniiſque opibus, magnus dum CAROLUS altum
Ad Scaldim procul hinc Aquilis victricibus, illic
Fulminat ad Sicorim, palmiſque exultat opimis:
Jamque ſuis major fatis, & clarus avito
Imperio CÆSAR, ſimul & Rex, addere utrumque
AUSTRIACUM rurſus frænis communibus orbem
Incipit, & clauſo terras componere Jano.

FINIS.

Laus Deo, ac Deiparæ Virgini ſine labe Conceptæ.

ELENCHUS,

ET

EXPLANATIO

Vocum Difficiliorum ad Rem Herbariam Pertinentium.

ACINUS pro Uva ipſa, ſeù fructu toto accipitur, qui ex ſucco, & parte, quæ veluti Caro eſt, & Vinaceis, & ex ambiente cute, ſeù folliculo conſtat. Ital. *Acino d'Uva.* Latiùs extenditur ad ſignificandos fructus minutiores Arborum, Fruticumve ſpiſſiùs, & coàctiùs creſcentes, ut in Hedera, Solano Halicacabo, &c. qua ratione à Baccis diſtinguuntur, quæ ſeparatim creſcunt, ut in Olea, Lauro, &c. Medici Recentiores pro Vinaceo, ſeù Gigarto accipiunt. Ital. *Arillo.* Hinc Uvas exacinatas dicunt, quæ h. m. Vinaceis carent.

ALA. Caulis eſt angulus, quem cum Caule folium, aut cum Ramo pediculus folii conſtituit: Hetruſc. *Concavo dell'appiccatura del Ramo al Fuſto, della Foglia al Ramuçello.* Non rarò etiam accipitur pro ipſo Ramulo, ut cum Caulem dicimus in plures alas diviſum; quia Rami veluti totidèm alæ Cauli adnaſcuntur. Alæ etiam appellantur in Floribus Papilionaceis, quales Herbarum ſunt Leguminoſarum, quæ media ſunt floris petala inter Vexillum, & Carinam poſita.

AMENTACEUS Flos is dicitur, qui ſtaminibus tantum, aut apicibus, aut foliolis quibuſdam compoſitus, Vermis alicujus, aut Felinæ Caudæ in effigiem, inſtar amenti, ſeù lori è ramis dependet. E Gallico Idiomate Italice reddi poteſt *Gattino*. Hinc ex ſtirpes, quæ h. m. flores edunt, Gentis Amentaceæ nomine comprehenduntur.

ANA-

ANASTOMOSIS à Medicis appellatur apertio venarum, quando ſcilicet venarum orificia ampliùs æquo aperiuntur. Transfertur in re Herbaria ad ſignificandam Vaſorum apertionem, quibus Caulis componitur, quâ ſuccus his vaſis contentus cum aliis partibus communicatur.

APETALUS ſine petalis, ut Flos apetalus, id eſt ſine foliis florum.

APHYLLUS ſine foliis. Unde caules Aphylli, qui foliis non veſtiuntur.

APICES ſunt ſummitates, ſeù Cacuminula in florum medio ſtaminibus incumbentia. Antheræ officinis appellantur.

BACCÆ dicuntur, qui ſparſim arboribus, fruticibuſque adnaſcuntur fructus parvo-rotundi, atque ità ab Acinis diſtinguuntur, qui ſunt racematim dependentes baccæ. Hetruſc. *Bacca*, *Coccola*, *Orbacca*. Strictiùs utuntur hac voce Botanici pro Fructu minore pericarpio, ſeù pulpâ, carneve molli, & humida, ſemina includente, & membrana tenuiore tecto.

BRONCHUS eſt aſperæ Arteriæ portio media fiſtuloſa ex annulis anterius conſtructa; Superior pars Larynx, inferior Veſicularis dicitur. Inſervit voci, & reſpirationi. Ital. *Canna della Gola*. Bronchia ſunt ipſius Arteriæ, ſeù Fiſtulæ Reſpiratoriæ Ramificationes.

BULBUS Radix eſt ſubrotunda, vel pluribus tunicis in orbem ſe amplexantibus, vel pluribus ſquamis imbricatim ferè diſpoſitis coagmentata, fibras plurimas ex imâ ſede, ſeù baſi emittens. Ital. *Cipolletta*. Hetruſc. *Bulbo*. Interdum latiùs accipitur pro Radice quavis uno Tubere conſtante etiam ſolidâ ſubſtantiâ, & continuâ, nec diviſa in ſquamas, & tunicarum involucra. Sic Croci, & Colchici Radices Bulboſæ cenſentur.

CALAMUS hoc nomine ſtrictiùs appellatur Caulis in Frumentaceis. Ital. *Fuſto*, *ò Gambo delle Biade*.

CALYX Folliculus, ſeù involucrum floris prius quàm dehiſcat, præcipuè Roſæ. Interdum flos ipſe Roſæ connivens, & nondum expanſus. At nunc frequentiſſimè accipitur pro folliculo, quo Flos primum, deinde ſemen herbarum, & fructus arborum cooperitur. Ital. *Bottone*, *Guſcio*. *Hetruſc*: etiam *Boccia*, *Folliculo*.

CAMPANIFORMIS Flos. Ital. *Fiore à foggia di Campana*.

CAPILLAMENTA ſunt filamenta illa tenuia è florum medio ſurgentia, apicibus plerumque donata.

CA-

CAPILLACEUS Flos idem, ac Stamineus, Amentaceus, Apetalus.

CAPREOLUS eſt pars quædam auxiliaris, filamenti, aut funiculi æmulus, cincinni in modum contortus, quâ planta quævis vicinis ſtirpibus, aliiſque ſtipitibus ſe implicans in altum enititur. Ut in Vite, & Leguminibus obſervatur, Hetruſc. *Viticcio*.

CAPSULA uſurpatur pro Theca ſeminum. Ital. *Caſſetta*. Hinc fructus Unicapſularis, Bicapſularis, &c.

CARINA, quod in angulum plerumque acutum excavatur, carinæ navis in modum: unde petalum inferius Floris Papilionacei Carina, & folia Aſphodeli Carinata dicuntur.

CAUDEX magis propriè de Arboribus dicitur. Hetruſc. *Tronco, Ceppo, Ceppaja, Gambale*.

CIRRUS, capillamenta ex Ruellio, quæ contorta criſpentur. Unde Radices cirratæ dicuntur, quæ veluti criſpis quibuſdam crinibus comuntur.

CLAVICULUS, ſeù Clavicula idem ſignificat, quod Capreolus.

COMA ex Ruellio quidquid hilari venuſtate crinium modo ſumma Ramorum, vel Coliculorum exornat, ut frondes, cùm foliatum eſt cacumen.

CORYMBUS propriè convenit Hederæ fructui, cujus acini in capitulum quoddam colliguntur. Racemis, inquit Plinius de fructu Hederæ loquens, in orbem circumactis, qui vocantur Corymbi. Utuntur etiam hac voce Botanici ad deſcribendam extremitatem Caulis, ità ſubdiviſam, & floribus, aut fructibus onuſtam, ut ſphærica figura indè oriatur, ut in Sambuco Aquatica, Cepa, Porro, &c.

CRENÆ ſunt quædam, inquit Ruellius, in extremis oris inciſuræ, à quibus Crenata Herbarum folia declarantur, ſicuti quæ per ambitum ſerræ in morem denticulata ſunt, Serrata dicuntur. Inciſuræ Crenatæ obtuſiores ſunt Serratis.

CROCI, præter proprium Herbæ Nomen, ſæpè idem ſunt quod Apices. Eſt enim ſæpe Crocus idem, quod apex Croceus floris ſtamini incumbens.

CRVCIFORMIS Flos. Ital. *Fiore, le cui frondi ſon diſpoſte in forma di Croce*.

CVLMVS idem, quod Calamus in Frumentaceis.

DACTYLVS Palmæ Arboris fructus, à digiti ſimilitudine ſic dictus. Hetruſc. *Dattero*.

DENTATVM, ſeù Denticulatum folium, quod dentium, vel

vel ſerræ in modum inciſum eſt. Inciſuræ Denticulatæ acutiores ſunt Crenatis.

DIGITATVM folium cum Jungio dicimus, in quo plures laciniæ, seù plura ſimplicia folia, quaſi ad unum petioli punctum, seù terminum aptata ſunt, ut in Pentaphyllo, Lupino, Cannabe, Vitice, & aliis.

DISCVS eſt media pars Floris compoſiti ex compreſſis, & confertis floſculis ita ut unam quaſi apparentem ſuperficiem conſtituant, ut in Galtha, Flore Solis, &c. à ſimilitudine Diſci, cujus figura plana erat, ac rotunda.

EPIDERMIS Tenuis cuticula exterior ex Animantibus ad Herbas translata ad ſignificandum tenue illud tegumen, quò folia veſtiuntur.

FIBRÆ ſunt veluti ſtamina rebus nonnullis intertexta, ut Radicibus, Ligno, Foliis, &c. Sic Fibras ligneas vocamus filamenta in longum extenſa, quibus maxima ex parte Lignum componitur. Item fibræ dicuntur minutiſſimæ, & extremæ Radiculæ. Hetruſc. *Fibre*, *Barbucce*.

FIMBRIA. Hetruſc. *Frangia*. Foliorum partes fimbriatæ dicuntur, quæ in tenues, & oblongas partes ſecantur. Petala florum Nymphoidis fimbriata ſunt. Flos Granadillæ corollâ fimbriatâ donatur. Ital. *Tagliato all'intorno à guiſa di frangia*.

FLAGELLA. In Vitibus dicuntur teneriores palmites ex anniculis ſarmentis enati. Ital. *Tralci*, *Capi di Viti*.

FOLLICVLVS eſt theca membranacea, seù foliacea, quæ fructum, vel ſemen continet involutum, ut Alkakengi. Hetruſc. *Folliculo*.

GALEATVS Flos, qui Galeæ ſpeciem refert.

GALERICVLATVS Flos, qui Galericuli ſpeciem refert.

GEMMA, seù Oculus, Tuberculum in Arborum ſurculis, unde germinant. Hinc Inoculatio Inſitionis ſpecies. Ital. *Occhio*, *Gemma*.

GENICVLVM eſt nodus quidam in Caule, seù Calamo. Ital. *Nodo*.

HALCYONEA, seù Halcyonia Recentioribus corpora quædam ſunt fungiformia in mari naſcentia, Halcyonum, ut aliqui exiſtimant, ex nidis.

HYPOCRATERIFORMIS Flos, qui Hypocrateris ſpeciem refert, ut flos Primulæ Veris, & Androſaces. Ital. *Fiore à foggia di Sottocoppa*.

INFVNDIBVLIFORMIS Flos, qui Infundibuli formam præſefert, ut flos Echii, Jalapæ, Auriculæ Urſi, & Centaurii

Mi-

Minoris : Ital. *Fiore à foggia d' Imbuto*.

INTERNODIUM, ut ait Ruellius, dici conſuevit, quod inter artus, vel genicula medium intercedit.

JUBA in Phytologia eſt arundinacea coma laxè effuſa, qualis in Milio eſt.

IULUS, ſeù Amentum, vel Nucamentum. Congeries floſculorum, ut plurimum ſterilium, vermis cujuſdam effigie, dependens ab Arboribus inſtar lori. Ital. *Gattuccio*, *Gattino*. Hinc dictæ Iuliferæ Arbores, ut Juglandes, Coryli, &c.

LABIATUS Flos, ideſt difformis, monopetalos in duo plerumque labia ſciſſus, quorum ſuperius Galea vocatur, quam refert, Inferius Barbam vocat Rivinus.

LACRYMA eſt humor è plantis, tum ſponte effluens (ſive is concreſcat in Oleum, Reſinam, aut Gummi, ſive non) tum facta inciſione emanans. Spigelius in eo lacrymam diſtinguit à ſucco, quòd liquor, qui ex contuſâ herbâ exprimitur, aut elicitur, ſuccus vocetur; qui verò vel ſpontè, vel ex inciſione emanat, Lacryma.

LACINIA eſt portio folii inter duas fiſſuras (fiſſura eſt profundior ſciſſura) incluſa. Hinc folia laciniata. Ital. *Tagliate à guiſa di frangia*.

LANUGO in Phytologia eſt mollis foliorum, aut fructuum lana, ut in Malis Cydoniis; vel, ut Schroderus definit, filamenta tenella cuticulæ extimæ inſtar pilorum, aut lanæ adnaſcentia. Ital. *Lanugine*.

LIBER interior tunica Arboris ipſi ligno adhærens.

LITHOPHYTA dicuntur ex Rajo Plantæ ſubmarinæ, lapideæ ſubſtantiæ.

LOBUS ex Rajo folii lacinia eſt, aut folium partiale grandius. Hinc Lobatum Folium appellat, quod ex ejuſmodi lobis compoſitum eſt.

LOCULAMENTUM idem, quod Cellula. Fructus in multa loculamenta diviſus, hoc eſt in plures cellulas, ſeù partes ſeptis intermediis diſcretas. Ital. *Celletta*.

MALLEOLUS, definiente Columella, novellus eſt palmes innatus prioris anni Flagello. Ital. *Sarmento di vite* Hetruſc. *Magliuolo*.

MONOPETALI Flores, qui uno petalo, ſeù folio conſtant.

NERVUS in Phytologia, prælongum eſt, & continuum filamentum folia perreptans, ut in Plantagine, quæ inde Quinquenervia, vel Septinervia dicitur. Ital. *Nervo*.

NUCAMENTUM idem, quod Iulus. Ital. *Fior di Noce, ò Gattino*.

OCU-

OCULUS: Vide Gemma:

PANICULA eſt lanoſa coma, unde ſemen dependet, ut in Arundine, Milio, Gramine; &c. ſeù, ut Jungius definit, Spica laxè diffuſa præſertim propendentibus petiolis, ut in Milio: Idem valet, quod Juba, & opponitur Spicæ.

PAPILIONACEI Flores, Papilionis ſpeciem referentes, uti ſunt Leguminum flores. Ital. *Fiore à foggia di Farfalla*.

PAPPUS eſt lanugo illa, quæ ſeminibus Carduorum, Senecioni, Hieracio, aliiſque inſidet, & in auras evaneſcere ſolet.

PARENCHYMATA penes Medicos ſunt viſcera, per quæ ſanguis ad ulteriorem perfectionem, & fermentationem intimè trajicitur, perfunditur, & tranſcolatur. Transfertur à Botanicis ad utriculos ſignificandos, in quibus plantarum ſuccus concoquitur, & ad ulteriorem perfectionem, & fermentationem promovetur.

PEDICULUS, ſeù Pediolus eſt, à quo folium, aut flos, aut fructus dependet. Ital. *Pedicino*. Hetruſc. *Picciuolo*.

PERIANTHIUM eſt, quod florem tegit, & dicitur etiam Calyx. Ital. *Boccia, Bottone*.

PERICARPIUM nonnullis reſtringitur ad ſignificandam pulpam mollem, ſeù humidam ſemina ambientem, ut in Pyris, Pomis, &c. Alii latiùs extendunt ad ſignificandam thecam, aut involucrum ſeminis quodcumque, ſive Membranoſum id ſit, ut in Veſicis Ulmi, Staphylodendri, &c. ſive durum, ut in Pomis. Ital. *Ogni ſorte di Guſcio di ſemenza*.

PERSONATI flores, ideſt animalium rictus referentes. *Vide pag. 62. 65. & 66.*

PETIOLUS idem eſt, quod Pediculus, ſeù Pediolus.

PETALA nobis Fabium Columnam ſecutis dicuntur Floris folia, ſeù laminæ illæ tenellæ colore inſignes, & fugaces. Hoc igitur nomine ad Homonymiam vitandam pro Floris folio utimur. Hinc Petalodes Flores nobis dicuntur, qui Petalis inſtructi ſunt, Monopetali, qui unico dumtaxat conſtant folio, Polypetali, qui pluribus.

PISTILLUM, ſeù Stylus pars oblonga, ſtaminibus craſſior, in eorum medio è floris umbilico emergens, & rudimento fructus, aut ſeminis cohærens. Hetruſc. *Peſtello*.

POLLEN, vel Pollis, flos tritici. Ital. *Fior di farina*. Accipitur metaphoricè pro eo minuto pulvere, qui è floribus exilire ſolet, ac ventis diſpergi.

RESTIBILIS gemma, quæ quotannis reſtitui ſolet, & quo-

dammodo renovari. Ital. *Gemma, che torna à fare ogn'anno*.

SAGITTA præter peculiarem plantam ſignificat etiam ſuperiorem partem Surculi, aut Flagelli.

SCAPUS eſt Caulis rectus in Columnæ modum. Hetruſc. *Fuſto, Gambo*.

SILIQUA. Folliculus ſeminum oblongus: ſpeciatim accipitur pro folliculo, ſeù theca Leguminoſarum ſtirpium. Hetruſc. *Baccello, Carruba, Gagliuolo*.

SPICA ex Jungio dicitur omne id, quod ex floribus, vel ſeminibus ſpiſsè compoſitum eſt, ita ut Conus erectus, vel oblongus, ſive admodum acutus evadat, ut præter frumenta apparet in Plantagine, Biſtorta, &c. Hetruſc. *Spiga*.

STAMINA idem ſunt, quod Capillamenta, quæ ità deſcribit Spigelius *Iſagog. lib. 2. cap. 6.* Sunt autem ſtamina in Floris medio, quod Umbilicus appellatur, partes oblongæ, tenues, veluti Capillamenta, interdùm paulò Craſſiores, paululum prominentes, in ſummitate apicibus frequenter præditæ, quæ ſtylum, partem ſimiliter oblongam, ſed paulò Craſſiorem, atque è centro Vmbilici exurgentem ambiunt.

STAMINEVS Flos, ſeù Apetalus. Qui tantum ſtaminibus conſtat, & petalis caret.

STIPES, idem quod Truncus, aut Caudex. Hetruſc. *Stipite, Ceppo, Ceppaja*.

STYLUs idem, quod Piſtillum. Aliquando pro ipſo Caule, ſeù Scapo accipitur. Ital. *Stelo, Gambo*.

SVRCVLVS eſt, quod in Ramis ſimplex aſſurgit, tenerum, & exile. Eſt etiam ramulus novellus, qui inſpicatur ad ſerendum. Hetruſc. *Germoglio, Marza, Sorcolo, Ramucello*.

TALEA Nonnullis eſt Surculus præciſus ab utraque parte, ut terræ inſeratur. Ital. *Ramo da piantare*. Hetruſc. *Glaba, Piantone, Talea*.

THYRSUS, idem quod Caulis, ſeù Scapus. Hetruſc. *Torſo*.

TOMENTVM eſt lana forcipibus deſecta, quâ Calcitræ infarciuntur. Hinc transfertur ad quodcumque farcimen ſignificandum, & ad eas plantas, quæ molli, & lanosâ comâ in Capitulis eminente præditæ ſunt, ut Carduus tomentoſus, Gramen tomentoſum.

TRACHEÆ Plantarum, ſeù ſpirales fiſtulæ ſunt Organa quædam Tubulata à Clariſſimo Malpighio detecta, quæ aëri excipiendo à Natura inſtituta videntur. Reſpondere videtur Tracheis animantium, quas Italicè dicimus *Aſpra Arteria*.

TRVN-

TRVNCVS idem, quod Caudex, ſeù Stipes.
TVBER eſt Fungus Subterraneus à Tumeo. Ital. *Tartufo*. Hinc dicitur de Plantarum radicibus prætumidis, & rotundis. Vnde radices Tuberoſæ.
VALVULI ſunt propriè, ex Columella, Concavitates in folliculis Leguminum, in quas ipſa grana ſeparatim recipiuntur. Id genus Valvulos ſeù, ut alii loquuntur, Valvulas aliqui comminiſcuntur iu Herbis Mimoſis, quemadmodum Valvas appellant lamellas illas planas, aut imbricatas, quæ ſepto intermedio Siliquarum utrinque adhæreſcunt, & dehiſcere ſolent, tanquam fores biſidæ; ut in Braſſica, Leucoïo, cæteriſque obſervare licet.
VERTICILLATÆ Plantæ dicuntur, quorum floſculi Caulem articulatim Verticilli in ſpeciem ambiunt, foliolis interſperſis, ut in Pulegio, & Marrubio cernitur. Eſt autem Verticillum inſtrumentum muliebre, quod Fuſo vertendi gratia ſolet adhiberi. Nos Verticulum ex metri neceſſitate extulimus.
VIMEN, omne virgultum lentum, ac flexile ad ligandum aptum, ſic dictum à Vinciendo.
VMBELLIFERÆ Plantæ, quæ flores edunt ſuis innixos pediolis, qui ex eodem orti faſtigio circinatione quadam Vmbellæ in ſpeciem, quâ Sol arceri ſolet, diſponuntur; ut in Fœniculo, Anetho, Apio, aliiſque cernere licet.
VTRICVLI, aliquando pro Capſulis, ſeù Loculamentis accipiuntur. In hoc opere frequentiſſimè pro ſacculis, ſeù Vaſculis, in quibus ſuccus Nutritius plantarum deponitur.

F I N I S.

COR-

CORRIGENDA.

Pag. 6. verſ. 7. Pubibundæ. Leg. Pudibundæ.
Pag. 29. in Notis loco prioris numeri 5. Leg. 3.
Pag. 48. in Notis ante ea verba *Ital.* Cipolla deſideratur n. 14.
Pag. 90. in Notis poſt n. 4. loco n. 6. ponendus num. 5.
Pag. 110. verſ. 3. Ocyſus. Leg. Ocyùs

Reliqua, quæ exciderunt, prudens corriget Lector.

Adl 1456445

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google